HVGONIS GROTII

SACRA

IN QVIBVS

ADAMVS EXVL

TRAGOEDIA

ALIORVMQVE EIVSDEM GENERIS

CARMINVM

CVMVLVS

CONSECRATA FRANCIÆ

PRINCIPI

Biblioteca della Principessa Gabrielli. Roma. 1804.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA

Ex Typographio Alberti Henrici, Hagæ
Comitatenſi, ANNO CIↃIↃCI,

ERRATA,

QVæ nec oculos noſtros præteriêre, nec annotatu indigna viſa ſunt habe Lector. Pa. 7. v. 9. reſcribe *excitum*. Pag. 16. v. 8. *Quē novimus pro parte*. ib. v. 20, *anima vobis*. Pag. 18. v. 13. *illa*. Pag. 19. v. 20 ita ſupple *cuncta complendo*. Pag. 20 v. 10. *habitat*. Pag. 22. v. 25. *geminos*. Pag. 25. v. 11 *Trimetri*. Pag. 26. v. 25. repone *Aërque volucres geſtat, aut Piſces marè*: Nam exſcriptoris eſt error. Pag. 28. v. 16. *Exlege* uno verbo. Pag. 9. v. 5 *Ad quos*. Pag. 30. v. 9. *tunc*. ib. v. 17. *mente*. Pag. 32 v. 16. *Æternùmque modus*. ib v. ult. *tandem*. Pag. 40. v. 6. *lubricos* Pag. 41. v. 10. *Perire*. Pag. 53. v. 6. *ſucceſſus*. Pag. 55. v. 2. *bonorum*. Pag. 64. v. 23. *hunc*. Pag. 69. v. 9. in quibuſdam exemplaribus ità transpone: *nunc te in latebras*. Pag. 70. v. 21. *ſubdolâ*. Pag. 74. v. 2. *conſulam* minuſculâ. ib. v. ult. dele punctum. P. 76. v. 10. *atque*. Indicis columnâ 6. v. 7. *Piſchon*. ib. v. 8. *Gichon*. ib. v. 32. *Planta*. ib. v. 38. *parentum*. In Sacrorum Carminum cumulo: Pag. 8. v. 13. *& ingenti*. Pag. 18 v. 19. *Cùm gens*. Pag. 21. v. 15. *profecta*. ib. v. 17. *quieſcens*. Pag. 23. v. 10. *Ægyptiùmque*. Pag. 26. v. 6. dele prius *procul*. Pag 41. v. 25. *patriâ*.

EXCELLENTISSIMO DOMINO D. HENRICO BORBONIO PRINCIPI CONDÆO PRIMO FRANCIÆ PRINCIPI PRIMOQVE PARI,

Guiennenſi Provinciæ à Chriſtianiſſimo Rege Præfecto,

DVabus hodie maximis me moleſtiis, quæ opuſculorum editores comitari ſolent, tuâ EXCELLENTISSIME PRINCEPS, operâ video liberatum. Nam alii omnes qui ſcripta ſua publico donant diu ſecum deliberare ſolent, cui potiſſimũ aut Principi, aut amico denique hoc ipſum, quod editur, ſint conſecraturi, ut & mori ſatisfacere, & eâ ratione alicujus gratiam poſſint demereri. Id ubi ſecum conſtituerint, plurimum deinde temporis operæque inſumendum eſt, ut dignâ oratione decoretur munuſculum, &, quod in Sacris fieri conſuevit, deſideria unà cum donariis offerantur. Mihi in neutro laborandum fuit, non magis quàm obærato debitari conſiderandum eſt in cujus ſinu argento alicunde corraſo ſe exoneret. Tot enim, tantiſque Exc. v. beneficiis obſtrictus ſum, ut iis exſolvendis nec hoc quidem ſufficiat, quod nexu mancipióq ei ſum jamdudum

addictiſſimus,ſed omninò ingrato mihi, tamē TVO, quandocunque ita Fatis viſum fuerit, moriendum ſit Sciebam equidem me huius Libri dedicatione, quem jure vindicare poteras,non ſolùm debiti nullâ parte extricari, ſed ampliùs etiam in ære tuo futurū, ſi,quod ſoles, ſerenâ fronte ſuſceperis: Sed ingenui hominis eſſe arbitratus ſum,etiam cùm quis ſolvendo non ſit debitum publicè profiteri, quod in præſentiarum facio. Neq. ad eam rem multis mihi verbis opus eſſe ſum ratus, cùm etiam avaro creditori (quanto magis tibi, quo humaniorem novimus neminem) ſimplex ſufficiat Syngrapha: præterquam quod meæ mihi conſcius infantiæ coram Principe tanto,& omnium qui unquam fuêre eius ætatis diſertiſſimo,ne mu quidem Lucilianum audeam. Ideóque verbum non amplius adderem; niſi juſtum videretur,ut quàm poſſim breviſſimè, cuius generis id ſit quod Exc. V. devovetur, exponerem; ut,ſi inſtitutum non placeat perlectâ tantum Epiſtolâ ulterius tuis horis, quas totius Orbis Chriſtiani commodum ſibi vendicat,nihil deteras. Quantum mihi àluris ſtudiis,hiſtoriis & arte Civili otii datum eſt,ea omnia tanquam ſucceſſiva,& ſubſecundaria tempora quæſivi cui ſcriptioni optimè impenderem, ita ut ſimul res diverſas & per ſe delectabiles excolerem. Sumpſi itaque Tragœdiam mihi ſcribendam, quod in hoc Carminis genere ſæculum noſtrum minus ferax eſſe,præquàm in aliis,conſpicerem. Argumen-

tum

tum mihi deligere volui Sacrum. Hui, Sacrum! inquies. Fateor: ut nunc ſunt tempora, plures lædas, quàm juves, niſi cautè verba examines. Ego certè in hoc maximè laboravi, quò ſtylum ità temperarem, ut nihil eſſet in opuſculo, quod meâ ſententiâ Chriſtiano cuipiam poſſit diſplicere. Hiſtoria eſt prima quæ in Sacris occurrit Literis & Cataſtrophen habet, Hominis ex integro felicíque ſtatu in hanc miſeriam lapſus. Philoſophica occurrunt plurima, præſertim Metaphyſica, de Deo, Angelis, & animis; Phyſica etiam de rerum Creatione; Ethica paſſim ut apud omnes; Geographica, & Aſtrologica nonnunquam, quæ omnia à Scenâ non eſſe aliena Euripidis, Epicharmi, & Ennii me docuit exemplum. Ita eiſdem horis & pietatem exercui, & divinæ humanæq; Sapientiæ ſtudium, & Poëſin. Huic rei veniá æquus judex non negabit, quòd, cùm argumentum nactus ſim quo nihil antiquius, nonnulla aut in comparationibus, aut alibi ΚΑΤΑ ΠΡΟΛΗΨΙΝ, hoc eſt per anticipationem dicta ſint. Nam Poëtis id non eſt infrequens. Subjunxi Tragœdiæ alia Sacra Carmina, quibus Euangeliorum initia, Hymni utriuſque Sacræ Hiſtoriæ, Declamationéſque nonnullæ continentur. Quæ omnia PRINCEPS SERENISSIME, ſub illuſtriſſimo nominis tui auſpicio prodire volui. Nam fac tuorum beneficiorum cumulo non oppreſſum liberam habuiſſe optionem, cujus nomen meliùs Paginæ meæ potuiſſem præſcribere, quàm eius, qui &

ætate

tate omnibus es miraculo, & eruditione Principibus exemplo, cuius hîc laudibus non magis indulgere convenit, quàm olim Herculis. Voto deſinam. Faxit Devs, ut ingenium illud omnibus virtutibus, & Principe dignis artibus inſignitum diu nobis ſuperſit, & ſe dignos habeat ſucceſſus. Hoc ego, hoc Gallia, hoc omnis mundus exoptat, hoc Rex Chriſtianiſſimus, hoc Mater Illuſtriſſima, quæ te cum perpetuò bene rem gerat, & gaudeat. Hagæ Comitatenſi: XV KAL. SEPT. Novi Sæculi anno primo.

EXCELLENTIÆ VESTRÆ

ADDICTVS, DEVOTVS, SVVS,

HVGO GROTIVS.

IN H. GROTII
ADAMVM EXVLEM
TRAGOEDIAM.

QVi Sophoclen Senecamque legis; quid præter Homeri
Somnia, res fictas, & mera monſtra legis?
Quàm ſatius Tragicis digna argumenta Camœnis
Condere, de Sacris hauſta voluminibus;
Artificesque alio ſuras vincire Cothurno!
Eveniat nobis hic aliquando furor.
Qualem de tenero moditatus GROTIVS *ungue,*
Æthereo plenum Numine *Syrma trahit.*
Hîc Sphynx nulla tibi, nulla hîc miracula Scyllæ
Occurrent. Hominem GROTIA *Muſa ſonat.*
Mortiferum hîc vetitâ decerptum ex arbore pomum,
ADAMI *lapſus,* EXSILIVM*que leges:*
Nunc primum (en) Latio donati atque urbe Quiritum:
Debita quæ Civi Gloria ſola meo:
Qui Phœbo DELPHIS*que ſuis, nec Conſule tantùm*
Patre, ſed & MAGNI *Nomine dignus ovat.*
MAGNE *(inquis:) Quid, ſi ordo tibi, ſi ſpiritus ac vìs,*
Si vocum ac rerum pondera nota forent?
Quæ ſimul ac noris, peream, niſi mirabundus
Mox clames; Factus SCOTIA *pone tuos.*
Ardua rês, IEPHTEN *Scenæ oſtentâſſe Latinæ,*
Plus matri nunquam debuit illa ſuæ.
Majus opus, primos PARADISO *edûxe Parentes.*
Hei mihi, quàm diſpar huîc ſtatus ille fuit!

IANVS DOVSA NORDOVIX.

Tetraſtichon
HVGONI GROTIO I. C^to.
De iis,
quæ in hâc Tragœdiâ,
Phyſiologicis.

Naturæ miranda canis, tam divite venâ,
GROTI, ut miràclum quilibet eſſe putet.
Hoc ſi quis dignè cupiat celebrare, neceſſe eſt
Ingenii ornatum dotibus eſſe tui.

ENOCH POTTEIVS.

In
HVGONIS GROTII I.C^ti.
Adamum Exulem.

Belgica par Graijsque, tuæque ô Romule genti,
Seu pacem ſpectes, ſeu grave Martis opus.
Ingenij dubio dudum certamine laudes
Suſpenſæ ſteterunt, nec data palma fuit.
Quippe pedem Tragico nemo inſertare cothurno
Auſus, & hoc ſolo Belgica victa modo.
Verùm, euge! GROTII ſuperavit munere, per quem
Græcia nunc minor eſt, & minor Auſonia.

IOANNES MEVRSIVS.

H. GROTII

ADAMVS EXVL

TRAGOEDIA.

Eius interlocutores.

Sathan.
Chorus.
Angelus.
Adamus.
Eva.
VOX DEI.

ARGVMENTVM.

POſt rerum creationem, & Angelorum lapſum homo in Paradiſo conſtitutus eſt, datum ei in inferiorem orbem Imperium, vetitumque, ne arboris quæ ſcientiæ boni, & mali ſymbolum erat, fructum carperet. Sathan ut contrà præceptum fieret primum hominem marem ſimulatâ amicitiâ aggreditur, deinde fœminam ſerpentis figurâ, quæ ſeducta virum ad peccati ſocietatem impellit. Vnde uterque horto expulſus eſt, & morti miſeriæque mácipatus. Salus reſtituta ſpe, & fide venturi Meſſiæ. Scena eſt in Hedene Babyloniæ regione, ubi erat hortus, ad ripam Euphratis. Chorus eſt ex bonis ſpiritibus, quos Angelos vocámus Sathan προλογίζει.

Trimetri Iambici.

Sathan.

SÆVI tonantis hoſtis, exul patriæ
Cæleſtis, adſum, Tartari triſtem ſpecum
Fugiens, & atram Noctis æternæ plagam.
Odium bonorum ſede me infauſtâ extrahit,
Diros ſceleſtâ mente verſantem dolos.
Terribile iniquum, triſte, formidabile,
Quod & ipſe Sathan horream, quæro ſcelus.
Hâc ſpe per omnes Orbis ibo terminos,
Hâc ſpe citatus clauſa littoribus vagis
Tranſibo maria, ſævus ut rictu Leo,
Patulo timendus per locorum devia
Quærit quod avido dente dilaniet pecus.
Hâc ſpe, quod unum maximum fugio malum,
Superos videbo. Fallor? an certè meo
Concuſſa Tellus tota trepidat pondere?
Bene eſt. Abundè eſt. Fiat hoc, fiat, nefas
Quod Mundus horret. Ecce, quæ petitur, propè
Apparet Heden: proxima Auranitidos
Amœna cerno: Lambit hîc Babylonios
Narmalca campos, Suſianes intimis
Fugiens ab agris, Bdellij qui fertiles,
Vbi ſub profundo naſcitur terræ ſpecu
Fulvum metallum, plurimúſque ubi Sardonyx
Latet in fodinis: parte labitur alterâ

Arvis rigandis aptus undâ Narſares,
Solaris ignis conſcius qui fervidas
Succingit oras: propiùs his à partibus
Phœbi ſub ortum lubricas curvans aquas
Non largus undis alveus tangit tuas
Aſſyria Cauchas, prævii ùmque in Tygridis
Delapſus amnem Perſicos fugit ad ſinus.
Regione dextrâ medius Euphrates fluit,
Et amne pingues diluit glebas ſuo,
Paludibúſque prodigus Chaldaicis
Participat undas: Parte ab illâ, quæ videt
Solis renatum ſurgere Oceano jugum,
Iucunda ſancti forma ſe latiſſimè
Diſtendit horti, cujus in gremium fluit
Sectus quaternis tumidus Euphrates vadis.
Hîc denſa tenuis languidos Zephyri ſonos
Arbuſta referunt, ſilváque arguto tremens
Ludit ſuſurro: ſemper hîc placido nitet
Solare vultu lumen: arridet favor
Conſtantis auræ: dulce adulatur dies
Firmè ſerenâ fronte: non nubes loco
Impendet, atri non ab irato Polo
Funduntur imbres, nec triſulci fulminis
Timet iſta telum, nec tonitruum murmura
Beata novit regio: ſolvit frigora
Tepor benignus, Verque perpetuum gravem
Defendit hyemem: nullus horrenti fremit
Boreas ab Arcto: nullus ætherias aquas

Minatur auſter. Quicquid eſt optabile,
Gratúmque in unum pariter adfluxit locum,
Iuſſo exulare, quicquid eſt alibi, malo.
Quæcunque viſus arbor, aut guſtus juvat
Convênit omneis iſte delicias locus,
Et amœna ſervat, quem beatæ prodigus
Sortis colendum tribuit Adamo Deus.
Poſtquàm ille cœli Machinam candentibus
Aſtris repletam, fertiliſque effecerat
Telluris orbem, jamque roſeis per polum
Invecta bigis ſexta fulgeret dies,
Quo nîl ſub aſtris majus Orbis cerneret
HOMINEM *creavit, pulverémque ignobilem*
In juſta finxit membra, & inflatâ pater
Vegetavit aurâ, nec tamen vitam dedit
Senſúſque ſolos, propriæ ſed imaginis
Expreſſit altum mente in humanâ decus,
Docuitque eundem qualis, & cuiâ manu
Formatus eſſet nunc, priùs qui non erat.
Quæcunque volucris aërem, terram fera,
Vel Piſcis undas habitat, illius omnia
Parent habenis: tota quà tellus patet
Vnius ager eſt: quæque poſſideat ſola
Nec ipſe novit dominus; & quicquid vago,
Quæ varia lucis non ſuæ alternans vices
Refugit in orbem, Luna continet ambitu,
Sævo tyrannus unus imperio premit.
Tantique regni generis ut ſerie ſuus.

Supe-

Supereſset hæres, uxor Adamo data eſt.
Ex oſſe fictam maſculino fœminam
Miratus Orbis ſtupuit, & Titan novus
Vidiſse nîl tàm meminit admirabile
Poſt ſe creatum: nunc uterque in florido
Spatiatur horto nudus: omnis abeſt Pudor
Rudibus malorum: fraudis expers, & doli
Sincera virtus colitur, & grato Deus
Celebratur ore: nulla ſecuros mali
Vexat cupido: mortis ambo vulnera
Impune temnunt: Morbus, & Lethi dolor,
Ipſoque vel dolore deterior metus
Fugiunt ab illis. Sorte, Proh, quantum meâ
Sors diſtat iſta! Nos rotanti ſidera
Cælo coævi, non vel ignis proditi
Fervente flammâ, vel tepore volatili
Humentis auræ, non aquâ, aut Terræ gravis
Torpente glebâ, ſed ſine ullâ corporum
Compage facti maximo æquales Deo
Mancipia pœnæ vivimus, nec vivimus.
Mors una, quam nec novit humanus timor
Mihi ſumma voti eſt; nec, quod extremum eſt malis,
Licet perire. Media quo tellus loco
Subſidit, ad ſe gravia quò trahit, & duos
Spatio remotos ſpectat æquali Polos,
Hic ora ſolvit Tartari inviſi domus,
Ignota radiis Solis: immenſis hiat
Caverna tenebris: ambitu obſcuro patet

 Triſtis

Triſtis vorago: ſpiſſa caligo ſpecum
Occupat inanem: vaſtus hîc horror ſilet,
Et ampla vacuo ſpatia laxantur loco.
Merſum profundis omne Sathanum genus
Latet ſub antris: quicquid inſenſi dare
Potuit Tonantis ira, nos vexat malum.
Sedet repoſtum mente ſub memori ſcelus,
Animóſque duros ſtimulat, & ſerus pudor
Semper quietem conſcio cordi negat.
Luctus pavórque regnat, & certus timor,
Et herilis ira ſequitur: interdum dolor
Mutatur odio, pœnæ & impatiens reus,
Vt ſævus hoſtis, ardet, & ſummum putat
Inferre nulli poſſe, quod patitur, malum,
Miſeróſque non ſic eſſe, quàm ſolos, dolet.
Pœnam levabit ſocius: Hedenis licet
Colat arva felix, ſpéque non dubiâ meum
Super aſtra ſibi promittat Adamus locum,
Tutóque conjunx perfruatur gaudio,
Non ſic abibunt odia: nec vivax dolor
Deponet iras: Pace ſublatâ procul
Perpetua bella pertinax animus geret.
Violenta certam mens aget diſcordiam,
Malum datura. quod malum? quicquid boni
Ætherea ſervat aula, vel Tellus creat
Amica, quicquid Pelagus, aut aër habet
Gratum, ejus omne eſt. Bella contemnit mea,
Hoſtémque dedignatur; in riſus ſuos

Mea

Mea vertit odia: certus, & fiſus Deo
Iamjam paratâ tendit ad cœlum viâ.
Hoc, hoc videndum eſt, regna ne ſumma occupet,
Qui jam tenet terrena. tum demum Poli
Fugiſſe ab arce pudeat imbellem exulem,
Si, ut dentur alij, regna deſerui mea,
Locùmque generi pulſus humano dedi.
Perge ira, perge, magna conantem opprime,
Adſitque ab alto Tartari fundo exitum
Quicquid profundâ conditur caligine.
Fauces Averni, & Noctis æternæ Chaos
Adverſa ſuperis regna, ſocijque impij
Vnâ ruinâ ſimul in hoſtem emittite,
Quodcunque noſtrum eſt. Veniat ignotum Scelus,
Cujuſque nos didicimus experti malum
Parere juſſis imparata Superbia.
Adſit rebellis maximo impietas Deo,
Gravis adſit Error, adſit Ambito nova
Rerum novarum cupida; non illex gulæ
Deſit libido, vana nec falſi fides,
Levitáſque rebus credula in non cognitis.
His his miniſtris noſter utetur dolor.
Quæcunque peſtis Tartaro obſcuro ſata
Blando Ceraſtas lubricos vultu tegis
Hoc agite: pœnas poſcite exilij graves,
Ruptoque Averni carcere, & nigri ſpecus
Portis ahenis, latiorem invadite
Telluris orbem: pectus Adami malis

Concutite, ceſſet nulla peccato manus.
Vbi lætus hortum lambit Euphratis latex,
Quocunque ſpectes media ramos exſerit
Arbos, opacis lumen admittens comis.
Vbique grato poma pendent pondere,
Curvantque matrem: fulvus his auri color
Delectat oculos, ſpemque non vanam facit
Placere guſtu poſſe: ſed vetuit Deus
Tangi, nec ullâ paſſus eſt carpi manu,
Scientiámque tam malorum, quàm boni
Pœnam ſeverus ſtatuit, & ſanxit minis:
Nam mancipatus nunc homo virtutibus
Ignorat omne crimen; in medio tamen
Vtriuſque poſitus, cum volet, flectet viam.
Quocunque vento flante poterit libera
Pelli uoluntas: parte dimidiâ nocens,
Qui velle potuit, eſſe cœpit. Spem mea
Capit ira: rectâ ſi recedens ſemitâ
Semel caducos devium per tramitem
Greſſus movebit, gemina & animæ, & corpori
Decreta mors eſt. Poma ſi vetitæ arboris
Guſtabit unquam, ſubitò in exitium ruet,
Pœnáſque ſocius, Tartari & novus incola
Pro perpetrato ſcelere communes dabit.
Accingere ira: ſi moveri vir poteſt,
Tentetur ipſe: ſi moveri non poteſt,
Tentetur eius uxor: hoc proſit mihi
Non eſſe ſolum: Fœminæ ingenium leve,

Negligere

Negligere juſſa facile, nec cœpti tenax
Variatur ultro, plurimum indulget ſibi,
Majora ſemper ſpe ſuperbâ præcipit,
Amátque ſolum, quo caret: præ incognitis
Antiqua ſordent: diſplicet, quod non novum eſt.
Sortis beatæ tædium, inconſtantia,
Spes vana, Pomi dulcis aſpectu color,
Guſtus cupído, quod volo ſpondent mihi:
Spondet ſine illis Mulier, apta author malis.
Sed audiétne, quem ſibi infenſum putat,
Mihíque vacuas hoſtis aures porriget?
Pax offeratur: mente depoſitum piâ
Simuletur odium: qui palam lædit, juvat.
Geſtare neſcit odia, quiſquis non tegit.
Facile eſt amorem fingere, atque optans ſibi
Mentitur ipſi. Credula eſt ſpes improba.
Dicam futuros Numini ſummo pares,
Novóſque Divos. Fortè non poſſent capi,
Niſi magna vellent capere: ſtat facilis fides
Sequuta votum. Si tamen firma in bonum
Hæret voluntas, ſi mihi facilem negat
Inimicus aurem, forma ſumetur nova.
Non oculus ullus Dæmonum cernit genus,
Non aliqua tangit dextra: nil ſenſus ſuum
Reperit in illis. Forma materie carens
Simplexque ſpecies alia quævis corpora
Aſſumit, & ſic ſenſui foris obvia
Dat ſe videndam. Conſilii ſapiens mei

 Serpens

Serpens miniſter fiat:animal callidum
Servire fas eſt ſpiritus vafri dolis.
Anguis per horti lubricum repens ſolum
Ignotus ibo:lingua ſermones feret
Triſulca:verbis virus inflabo meum,
Et qui venenum maximum ſpirat draco
Majus loquetur: utraque tentanda eſt via,
Fallámque geminâ fraude ſub amico virum,
Evam ſub angue. Stabo & urgebo ſcelus,
Regámque edentis ora,carpentis manus.
Quid adhuc moramur? iſta quæ lucet dies
Homini parem me reddat,aut hominem mihi.

CHORVS.

Anapæſtici Dimetri & Monometri.

QVisquis ab alto culmine rerum
Infrà ſe humili ſede locatos
Deſpicit audax,videat ne mox
Vrgente ſuam mole ruinam
Pondere ſidat:gravior ſemper
Caſus ab alto eſt. Leviùs contrà
Leviora cadunt. Sequitur major
Cura beatos,quò plus nactos
Plura timentes.
Qui modo magni civis Olympi
Aurea cœli templa tenebat

Nunc

Nunc occluſus triſtique ſpecus
Conditus umbrâ pœnâ nunquam
Pereunte perit, ſolóque Deo
Antè Inferior, dum minor uno
Eſſe recuſat, nunc ſuprà ſe
Omnia cernit.
Quanto præceps cecidit lapſu
Qui priùs almâ luce coruſcus,
Quíque ætheriâ ſplendidus aurâ
Stabat in ortu! Talis Eoâ
Parte dieï fax Luciferi
Prævia Solis grata ſereno
Lumine fulget, quæ mutato
Nomine ſurgens dux tenebrarum,
Noctis & atræ ſignifer exit
Heſperus idem.
Quid in exitium ruiture tuum
Rerum authori parere negas,
Cúmque obtigerit res quæ potuit
Maxima, fruſtrà majora paras?
Hoc eſſe, quod eſt ſolus, qui te
Facit eſſe cupis. Pugnas illi
Cui nihil obſtat.
Extimus orbis complectentis
Cætera cœli, quem felices
Habitant turmæ, celebránſque ſuum
Sub mille Choris vox grata Deum,
Quem nec celeri turbine verſat

 Lex

Lex redeuntis certa diei,
Nec qui Lunæ variat formas
Menſtruus ordo, nec qui celeres
Tempeſtatum labente vices
Digerit anno, ſed perpetuâ
Tenet immotum ſtatione quies,
Propè tunc viſus nutare loco eſt,
Dum male Sathan movet ætherias
Tranſfuga ſedes, bellúmque ciet.
Senſit turbas Sphæra rebelles,
Totusque nefas horruit æther,
Geminique Poli tremuêre malis,
Nec benè firmus ſubſtitit axis,
Et Naturæ facie verſâ
Metuit tingi Cynoſura ſalo,
Metuêre graves Ara aquilones,
Helicéque Notos.
Ipſe inciperet mox Ægoceros
Laxare diem, Cancérque breves
Ducere noctes, Sólque in tenebras
Capiens regnum tradere lucis
Iura ſorori, niſi magna Dei
Iuſſa capeſſens ſumpſerat audax
Arma Michaël. Ille rebelles
Domuit turmas: Ille tenaci
Compede vinctas juſſit ſuperis
Migrare locis, & præcipites
In Tartareas depulit umbras.

Illius armis proſtrata jacet
Furioſa cohors, quæ pœnarum
Monet exemplo potiora ſequi.
Eheu ſatis eſt. Hæc mala finem
Dent criminibus, dent ſupplicÿs,
Nec quem in bivio dubium verſat
Vitÿ labes, hærenſque pio
Pectore virtus deflectat HOMO
Trepidum recto de calle gradum,
Poſſit ut illo ſata progenies
Tandem cœli vacuum exilio
Supplere locum.

ACTVS SECVNDVS.

Adamus *Angelus*

Trimetri Iambici.

Dies tenebras legis æternæ vice
Fugans reſurgit: Certus ordo temporum
Solis reducit aureum terris caput:
Stellis fugatis majus exoritur jubar;
Nox juſſa luci cedit, & Phœbo ſoror.
O quantus ille eſt, cujus ingenti manu
Cœli rotatur axis, & turbo celer
Refert Olympum duplici fultum Polo,
Vaſtumque mundi pondus æqualem trahit
Retrahitque in orbem! Sidera authoris ſui
Secuta legem temperant anni vices,

Titan coruſcis explicat lucem comis,
Et Luna ducens mille ſtellarum choros
Tenebroſa noctis rumpit. Ætherei ſacer
Sonus ille motus cantat artificem manum,
Omneſque ſtellæ celeris ad cœli modos
Plaudunt choreis: Ipſe nos Mundus monet
Servire rerum conditori, nec ſinit
Hærere terris: ſupera nos rapit in loca,
Menteſque proprium ducit ad primordium.
AN. *O te beatum, cujus in præcordiis*
Imago magni nobilis fulget Dei,
Et cui, quod unum maximum & ſummum bonum eſt,
Rationis uſus cum Dei cultu datur.
Adame, quantum cerne præſtes cæteris
Rebus creatis: Saxa & hos lapides vide:
Sunt iſta, quâ tu maximi authoris manu
Formata: nullos ſed quibus tribuit parens
Natura motus: Arbores quas aſpicis
Foliis vireſcunt, & ſuos fructus ferunt,
Anniſque creſcunt, rurſus & ſenium morâ
Patiuntur ævi: nulla delectat tamen
Plantam voluptas, nullus excruciat dolor.
Piſces, feræque, & alitum altivolans genus
Vident colores, audiunt vocem & ſonos,
Capiunt odores, pabulum guſtu probant,
Munuſque in illis tactus exercet ſuum:
Nocitura diſcunt fugere, quæ proſunt ſequi.
Senſu trahuntur: Non habent mentem ducem,

Nec

Nec cogitata mutuis ſermonibus
Capiunt, feruntque: nulla Relligio Deum
Demonſtrat: omnis in brevi vitâ eſt ſalus.
Tibi præter illa mortis expers & mali
Anima tributa eſt imperatrix ſenſuum.
Laudum ſuarum te Deus teſtem ſacris
Parere juſsis voluit; hæc lex eſt data:
Tibi benignus reliqua, te fecit ſibi.

AD. *Deus eſt profectò, cujus & terra, & fretum,*
Et utræque Phœbi ſentiunt Numen domus.
Præſentia illi cuncta: principio carens
Fini carebit, ipſe principium ſimul
Finiſque rerum: cuncta mille à ſeculis
Futura cernit: Fecit omnia, & omnibus
Factis opiferâ proſpicit prudentiâ:
Non corpus illum claudit, aut ſervat locus:
Sed ubique vivit, omnis expers termini:
Origo veri, Fons boni, Sapientia
Regina mundi, quæ poteſt quicquid cupit.
Cœlum ille in orbem verſat, & Terram ſuis
Firmat columnis: ille quodcunque eſt grave
Depellit: idem quod leve eſt ſurſum trahit,
Motuque motus ipſe principium caret:
Nunquamque variat unus: attamen in tribus
Subſiſtit unus. Eſt enim rerum parens,
Is qui potenti cuncta moderatur manu:
Eſt natus ipſo patre ab æterno ſatus,
Divina ratio, Mens patris: Lex omnium,

Sermoque, cuius incomprehenſâ fuit
Virtute factum quod prius fuerat nihil:
Vtrumque Sancti Spiritus Concordia
Amorque jungit: Treſque ſunt Vnus Deus.
*A*N. *Quam multa paucis, Magnâ parvis vocibus*
Satis explicaſti, quantaque ingenij tui
Menſura ſummum pectori inſculpſit Deum,
Quem novimus parte: perfecto modo
Deus ipſe novit, ſeque dum capit, & cupit
Pleno, quod alijs dividit, fruitur bono.
Deus ipſe Mens eſt, univerſum quæ replet
Superatque mundum: cæpta nullo tempore
Nulloque deſitura: Quod verum eſt videt
Etiam antè, quàm ſit: vult bonum, cauſſa eſt boni.
Procul hinc remoti, proximi certè tamen,
Sumus per illum nos miniſtri cœlites,
Animæque veſtræ. Quippe reſpondet locis
Pars nulla noſtri: dividi nec poſſumus:
Tamen hìc, vel illic eſſe rectè dicimur,
Non ſimul ubique: & anima nobis quamlibet
Infuſa membris tota inhæret ſingulis,
Quà corpus illud, non & ulterius patet.
Noſtræ actioni temporum non competit
Menſura, ſemper non idem facimus tamen:
Incipimus, & deſinimus: hæc abſunt Deo.
Ab eo creati mortis immunes ſumus.
Non vera ſcimus integrè, non omnia,
Nihil futuri. Noſtra rebus de bonis

Pendet

Pendet voluntas: Mente ab illius bonum.
Adame nobis maxima eſt fœlicitas
Hoc velle ſolum, quod Deus vult, & facit:
Parere juſſis, ſpontè rectori obſequi,
Laudare juſtum, patrem amore proſequi,
Et diſcere illum quem nihil rerum latet.
Vis conditorem noſſe? rebus conditis
Vtere magiſtris; quicquid eſt index Dei eſt.
AD. *Cum nîl fuiſſe tot feras, piſces, aves,*
Ipſumque me, Telluris, & Cœli globos,
Solemque, Lunamque, ante perpaucos dies
Tacitus revolvo totus extra me feror,
Stupidusque rerum miror artificem Deum.
Age, ſi vacabit, (ſcire nam perfectiùs,
Quæ facta fuerint ante me factum potes:)
Narra petenti, quo modo, quoque ordine,
Tam magna numeris machina impleta eſt ſuis.
AN. *Gemina ante tempus omne, cum ſolum foret*
Nil præter ipſum, corpora effecit Deus,
Moli priori conditæ ſimplex erat
Materia: partes mutuo æquales ſibi,
Perfecta ſpecies, orbis in juſti modum
Rotunda, nullis angulis protuberans
Ne diſcreparet finis a primordio.
Natura nullas motuum patiens vices,
Secura lethi, non timebat deteri,
Tantum revolvi prona, nec mutans locum,
Referebat orbes ſempiterno turbine

Dimenſa tempus: Magna cœli Machina
Pendebat axi fulta, cui gemini procul
Fines utroque terminabantur Polo.
Concava profundæ Molis intra viſcera
Latebat expers Lucis, & formæ Chaos,
Quod cuncta poſſis dicere, & poſſis nihil.
Depreſſa nondum gravia tunc ſeceſſerant,
Nec levia ſuperos evolarant ad locos:
Sed mixta liquidis ſicca, frigida fervidis,
Confuſa magnis parva, duris mollia
Cumulo latebant: cuncta quæ ſunt effici
Ex mole poterant, cuncta formis perfici.
AD. *Iacuitne inanis ille materies diu,*
An ſubitò ſpecies rebus effulſit ſua?
AN. *Non illud una ſingulis formis opus*
Perfecit hora: quippe lapſu temporum
Digeſta varios cuncta ceperunt gradus.
Pars iſta medio, quam tui calcant pedes,
Confinis axi pondere oppreſſam ſuo
Terram recepit: illa primò turbidis
Submerſa in undis deliteſcebat ſalo
Cincto tenebris. Subitò divinâ manu
Formatus aër curſibus liber vagis
Incubuit undæ. Flamma tantùm ſplendidæ
Miniſtra lucis deerat: Vmbræ Machinam
Denſâ tenebant conditam caligine.
Itaque ex capaci Mole luciferum Deus
Secedere Ignem juſſit, & juſſo obſequens

Seceſſit

Seceſſit ignis fervidus,ſiccus,levis.
Quaterna nondum ceperant ſedes ſuas
Principia:nondum clauſerat littus Mare,
Aërve terram concavi ſpecie globi:
Natura nondum proximo Lunæ loco
Ignem locarat:qui ſimul in auras Chao
Abijt relicto,non in excelſum fuit
Redactus orbem,flamma ſed maſſam in rudem
Coacta tanquam temerè Eois ætheris
Partibus adhærens,& citato turbine
Correpta cœli mobili luxit face:
Rurſumque biſſex tracta præcipiti rotâ
Eadem per horas priſtinas parti alteri
Tenebras reduxit,alteri lucem novam.
Sic temperanda noctis alternæ vice
Primi diei fuit opus primum dies.
Ad. *Quibus illa,ſi fas ſcire,diſpoſita eſt modis*
Rerum parens quadriga, quæ nunc mutuò
Complexa ſeſe parte ab omni convenit,
Vaſtúmque inane complendo fugat?
An. *Redeunte rebus luce præcepit Deus*
Inania auris ſpatia repleri vagis,
Vaſtùmque vacuis aëra expandi locis,
Qui medius undis ſepararet ab inferis
Superos madores:ille mandati tenax
Diffuſus ultrò in alta ſecum pendulos
Vexit liquores: ivit ad Cœlum vapor,
Vbi nunc librantur onere præcipites ſuo

 Nubes,

Nubes, & imbri in ventre parturiunt gravi.
Non una regio eſt Aëris: trina occupat
Diſtinctus ille ſpatia: ſupremum coquit
Contigua flammæ fervidæ vicinia:
Ibi, qui malorum poſteris utinam tuis
Nunquam ſit index nuntiâ cladis face,
Fulget Cometes: ille ſiccos halitus
Locus, ille ſervat ſiderum labentium
Cœlo figuram: Media quà regio patet,
Ibi frigus, humórque dabitat, & varij vagè
Pendent vapores. Patria hæc pluvias parit,
Celeríſque venti ſpiritum, cùm deſpuit
Fervor liquorem, frigus aut medij loci
Præcludit altum flatibus calidis iter.
Ibi tonitruum murmur, & vis fulminis
Coruſca magnâ naſcitur diſcordiâ.
Ibi triſtis imber algido ſtrictus gelu
Aut in nivem duratur, aut in grandinem.
Inferna ſedes quæ repercuſſæ trahit
Flammæ calorem craſſior, nebulas graves
Rorémque purum proximo immittit ſolo.
Sic aëris tranſire ſeptum duplices
Inter madores alter aſpexit dies.
Cúmque hâc eâdem luce compulſu Dei
In maria, & amnes ſe recepiſſent aquæ,
Et deſtitutis quos inundârat locis
Littoribus iret clauſus, & ripis liquor,
Cœloque nudum Terra monſtraret ſinum,

Fructus

Fructus ſequenti juſſa produxit die.
Quodcunque germen floridos campos tegit,
Et herba ſucco quæ ſalutifero viret
Tunc juſſa primùm creſcere eſt, & vividum
Eÿcere ſemen. Tempore ex illo arbores
Alimenta Terræ matris infixâ bibunt
Radice, ſempérque Aëris genitabili
Vegetantur aurâ, traditisque in viſcera
Creſcunt ab undis: ſede ſublimi trahunt
Ignis foventem cuncta vitalis facem,
Genúsque totum planta ne ſecum auferat
Moritura formæ proferunt ſimiles ſuæ.
AD. *Verène quarto credimus factas die*
Stellas, & ipſas Solis, & Lunæ faces?
AN. *Cum per quaternas Mundus ætherius vices*
Repetîſſet unde cœperat volvi locum,
Orbis figura ſubjugem Cœli globo
Aptavit ignem, quodque vacuum liquerant
Æther & aër Circulo ſpatium ſuo
Media occupavit flamma: poſt hæc ſiderum
Opus ſecutum eſt: illa non humili ex Chao
Formata nôris, melior & ſublimior
Materia genuit aſtra, naturam parem
Sortita Cœlo, cuius infixa in globis
Noctem, diémque lumine illuſtrant vago,
Horas tenebris, & diei dividunt,
Tollunt vapores cœlicæ attractu facis,
Serena, & imbres, & procellas præmonent,

Anno-

Annóque partes, partibus tribuunt dies.
Bina aſtra lucent ex ſolo ſpectantibus
Majora reliquis: Phœbus ignis fervidi,
Terris calorem reddit in ſpeculi modum,
Rector diei, cujus immenſum jubar
Obſcurat alia lapſa cœlo ſidera:
Sed Luna noctis domina fraternum ſibi
Furata lumen ſplendet alienâ face,
Cúmque alma Phœbe Solis oppoſitâ via
Regione vadit, lumen adverſum bibit,
Seſéque in orbem redigit, ut plenus nitor
Rumpat tenebras: Solis at complexibus
Cum ſoror inhæret, Nox ut illunis ſilet.
Quantóque propius lumen eſt Titanium
Majora Lunam damna cornigeram manent.
Hæc præter ambo plura Sphæris ſidera
Infixa varijs quarta conſpexit dies.
Bis quattuor ſunt aſtra portantes globi:
Sideribus horum ſummus innumeris nitet,
Sphæriſque in alijs ſingulæ lucent faces.
Orbe in ſupremo faſciæ latæ via
Biſsena geſtat ſigna, quæ Sol permeans
Nunc Noctis æquat, & diei terminos,
Nunc liberali prorogat lucem manu,
Nunc laxat umbras. Illa habet geminas domus
Septentriones, illa pluvias Suculas,
Verisque, & Autumni indices Atlantidas.
Illic procellis tumidus Orion furit,

Flagrátq.

Flagrátque anhelo fervidus mento Canis.
Septem vagantes qui ferunt ſtellas globi
Iſtum ſequuntur: omnibus motus duo.
Nam concitatus maximi lapſus Poli
Quanquam diurno turbine invitos trahat,
Tamen coactis curſibus contrarij
Vltrò moventur: namque ſupremi diem
Vis rapida Mundi parte ab Eoä trahit;
Illos reducit lentus adverſos gradus
Ab occidente ad Solis ortivi domum.
Nec una curſus ſpatia: nam ſenas quater
Mundus per horas inferos ſecum globos
Convolvit: illi proximo torpet gravis
Saturnus aſtro, qui ſuam bis quindecim
Tardè per annos deſtinat Cælo viam.
Inferior illo Iupiter ter quattuor,
Vicinus annos Mars ſibi indulget duos.
Sol ſequitur illos annuo curſu ſuum
Menſurus orbem: certa nec Solis comes
Lucifera ſtella, parva nec fax Mercuri
Majora poſcunt ſpatia; quîs cunctis ſubeſt
Contenta Phœbi menſtruo curſu ſoror;
Hæc cum videret opera, qui fecit Deus
Laudans probavit. AD. *Quæ feras, Piſces, aves,*
Iumenta, & angues vidit effingi dies?
AN. *Vbi ſecundam Phœbus accendit facem*
Iuſſit per amnes, Numen, & vitreos lacus,
Lunaribuſque refluа momentis freta

Natare

Natare Piſces: Iuſsit & volucres citis
Secare pennis aëris liquidi vias.
Ergo creavit monſtra fœcundi maris
Immenſa cete; & omne ſquammigerum genus,
Alisque fultum: mille ſpecies ſingulis,
Faciesque generum mille Naturâ ſuos
Prodente luxus: ſingulis anima eſt data,
Quæ forma princeps corporum eſt viventium,
Quæ ſentit, auget, vegetat, alit, & procreat.
Nam cum videret magnæ opus dextræ Deus
His allocutus comprobavit vocibus:
Alimenta in uſus quæque ſumentes ſuos
Majore mole creſcite, & numeros quoque
Augete veſtros ſobole, & ovis inſitas
Excludite animas, quæque miſtis ſexibus
Depoſita in alma condidiſtis viſcera,
Servate juſto reddituras in tempore,
Innumeræ ut ab humo ſuſpici poſsint aves,
Vaſtique Piſces impleant undas ſali.
Sequente luce, ſexta quæ Mundo fuit
Tertiaque Phœbo, cæteris animantibus
Tibique prima, Conditor juſsit Deus
Centum cavatis ire ſerpentes viis,
Centum veneni genera, ſi Numen ſinat,
Vitanda cautis Iuſsit incultis feras
Errare ſilvis, paſcere & viridantibus
Armenta campis, cuncta ſpectant patriam
Quæ prona terram, nec ſuos audent Polo

Monſtra

Monſtrare vultus, atque cæleſtes domos
Contrà tueri fixa perpetuùm ſolo:
Adame tantum eſt hæc quod à te differant,
Quem vultus ipſe deſtinat majoribus,
Te, cùm creâſſet imagine imbutum ſuâ
Deus, quievit ſeptimâ ſanctâ die
Feciſſe faſſus ultimo majus nihil.
Sed ad te euntem conjugem video tuam
Abibo, quo me munus appellat meum.

EVA. ADAMVS.

Trimeter Iambici.

O Sempiterno fœdere auſpicijs Dei
Mihi juncte conjunx longiùs præſentiâ
Tuâ carere juſta me pietas vetat,
Amórque ſanctâ corda ſuccendens face.
AD. *Conſors cubilis cui meis ex oſſibus*
Compoſuit oſſa, cui maritali Deus
De carne carnem finxit, ut redeat ſuum,
Quod inde natum fuerat, ad primordium,
Quàm benè putavit, nulla quem fugiunt Deus,
Non poſſe verâ me frui ſine compari
Felicitate: ſemper animos dulcior
Tangit voluptas, ſorte quam gratus pari
Socius frequentat: iſta natura eſt boni,
Communicari gaudet, & multis ſuo
Prodeſſe fructu: nemo participi carens
Vivit beatus. Solus & felix dolet.

Cum liberali cuncta rerum Conditor
Mihi beſtiarum genera tribuiſſet manu,
Quibus arbitratu nomina impoſui meo,
Deeſſe viſa eſt ſocia, quæ ſolo foret
Diverſa ſexu. Tunc Dei immiſſus manu
Omnes mihi artus altus invaſit ſopor.
Somno jacebam preſſus, & torpor gravis
Senſus ligabat, ſpiritúſque ex intimo
Pectoris anhelans capitis officijs dabat
Vacationem: dúmque ſecurum quies
Profunda tenuit, ultimo dorſi loco
Succincta geminis terga quà lumbis patent,
Hâc parte coſtam corpori eripuit meo,
Vacuumque hiatum carne ſupplevit Deus.
Vbi recreata membra, qui primus fuit,
Somnus reliquit, ex meis, uxor tua
Formata membris aſtitit ſpecies mihi,
Quam cum viderem, languidos artus adhuc
Stupor occupavit, flamma quem ſolvit nova,
Et amoris ignis. Poſteà omnipotens Sator
Conjugia verbis noſtra firmavit ſacris.
Augete miſti, dixit, Humanum genus
Imago noſtra: terra quàm latè patet
Veſtrâ regatur ſobole: quas Tellus feras,
Aërque piſces geſtat, aut undas mare
Imperia veſtri ſanguinis diſcant pati.
EV. *Felicitatis magna pars, aut unica*
Vir eſt maritæ: dulce nunc quicquid mihi eſt

Te ſine

Te ſine nocebit. AD. *Sic amoris mutui*
Vt duret ardor, utque communi bono
Ævum fruamur, noſque deliciæ beent
Hedenis almi munus egregium Dei,
Ipſum colamus omnis authorem boni,
Primúmque amemus, quaſque nobis præcipit
Leges ſequamur pariter, ut vetitæ arboris
Vitare guſtum, cæteris liceat frui.
Iucunda quæ vox auribus ſonuit meis?
Sanctas ſupremi Regis ætherius Chorus
Laudes celebrat: ex propinquo ſuccinam.

CHORVS
Ex vario Carminum genere.

ARtifex rerum tibi grata laudes
Mens novo celebrabit hymno,
Teſtémque magnitudinis
Mundi domum citabit,
Majeſtas tua gloriam
Induta fulget, laudiſque amictu
Decorata ſancto lumine ſplendet:
Aëris vaſti cujus expandit
Dextra cortinam, nitidaque velo
Aureo flammæ veſtijt orbem.
Tu nubes pluviâ graves
In conclavia dividis, rapidis & inſtans
Auriga loris flatibus imperas

Vectus alite vento,
Tibi Legati munere fungentes
Silvarum quatiunt ſuperna Cauri.
Sentit Ortus, ſentit Occaſus
Flammæ miniſtræ vim genitabilem.
Tibi nos miniſtri, nec minus ventis
Agiles, nec igni rapimur juſſa
Exſequi proni tua.

Te tellus tibi fixa tremit: quæ turbine circum
Diverſo ætherios paſſa rapi globos,
Ullis ipſa trahi curriculis negat.
Illam prima dies gurgite viderat
Obſcuro, & pelagi fluctibus obrutam.
Cælum littus erat: ſummaque montium
Cinctorum tenebris condiderat juga
Ex lege Oceanus vado.

Tu ſubito verbis Deus altitonantibus undam
Cedere juſſiſti: vix juſſa receſſerat unda.
Tunc parentes Domino fluctus
Fugêre procul: liquêre ſolum
Telluris aquæ, quæ præcipiti
Lapſæ pulſu vertice ab alto
Inter valles humili primum
Sedêre loco, donec juſſos
Tenuêre ſinus.

Incluſum eſt à te præſcriptis finibus æquor
Sublimi ne rurſus humum ſub gurgite condat;
Terraque delapſis ſiccum caput extulit undis.

Natos jugis in altis
Iubes ſalire fontes,
Quos cum feris bibentes
Sitim levent Onagri:
Ad quod aves ſedentes
Dulci canant ſuſurro
Sub arborum comâ.

Humores pluvios ſuper alta cacumina fundis,
Et procul ex magno deſpectans infera cœlo
Participas terræ depreſſum è nubibus imbrem,
Ebria quo fructus genitrici prodit ab alvo.
Inde, quo vivunt pecudes, gregéſque,
Naſcitur fœnum: generantur herbæ
Mitibus ſuccis, meliórque paſtus
Pinguibus creſcunt ſegetes in arvis:
Inde procedent Oleæ nitentes
Quóque vis cordis ſatiata gaudet
Palmitis humor.

Te ſuccos tribuente ſuos in montibus altis
Fertilibus Cedri creſcent ad ſidera ramis,
Quas habitet paſſer, tremuloque ciconia roſtro:
Sæpè etiam ſummâ pendentes abiete nidi
Emittent trepidis pullos ſuper aëra pennis.
Montium alta cacumina
Eſſe perfugium facis
Capreïs ſilveſtribus:
Te jubente cuniculi,
Te jubente vagi petunt

Concito lepores pede
Scrupeæ abdita rupis.
Luna tuâ formata manu eſt, quæ menſibus annum
Diſtinguat, reparanſque levis diſpendia formæ
Nunc gemino cornu, nunc pleno fulgeat orbe.
Ipſe etiam certis fulgor Titanius horis
Occidit, & priſcæ terras cum tradidit umbræ
Ex antris prodire genus monet omne ferarum.
Fulvæ feroces tum catuli leæ
Prædæ manentes pabula rugiunt,
Potus, & eſcam voce famelicâ
Deum rogantes: Lucida cùm dies
Cœlo refulſit ſilvicolûm cohors
Omnis ferarum neſcia conſpici
Arboreum redit ad cubile.
Ipſe homo, ſiquid habet quod agat, nè ignavus oberret,
Invigilat curis intentâ mente diurnis,
Quas ſolvit veniens ſecuro lumine Veſper,
Somnum olli, requiémque ferens. O maxima Mundi
Regnatrix latæque opifex Sapientia terræ,
Tu cœlúmque, ſolúmque regis: tua maxima (quanquam
Nec facunda ſatis) cantat præconia Tellus.
Te te velifero ſub gurgite
Magna & parva gerens animantia,
Piſcéſque innumeros celebrat mare.
Illic luminibus Piſtris micat,
Squammigero & fluctus dorſo ſubit,
Ludentíque ſecat tergo freta

Artificem

Artificem teſtata manum.
Sic quicquid tuus Orbis habet
Pendet à dominæ gratiâ dextræ:
Ad tuos pendent animantia nutus.
A te rapaci deſtinata morti
Amittunt vitam.
Iuſtis temporibus pabula beſtias
Nutriunt tuâ tribuente dextrâ,
Quæ ſua cum bona liberali
Dividit cumulo ſatiantur omnes
Pecudes, feræque. Simul opiferam
Avertes faciem, difficiliq́ue vultu
Intueberis, recedet
Spiritus vacuas in auras,
Deſtituétque inane corpus,
Quod repentè agitari
Reciprocanti deſinet halitu,
Tenuémque ſeſe in pulverem vertet:
Rurſúmque tui Numinis aurâ
Favente gravidis fœtus ab alvis
Naſcentur, quæ ſuum
Non ſinant genus interire,
Terra recentes
Vt pro interemptis capiat colonos.
Donec Sol reparator Eoi
Varijs vicibus ſæcula volvet,
Donec obſcurâ nocte micantes
Cingent rotatum ſidera Mundum,

Numinis laudes reſonabit Orbis.
Divina Scilicet
Nullis majeſtas interibit annis;
Ipſum, ipſum capiunt gaudia cum videt
Machinam tantam, quam magnus opifex
Ante ſeptimum effecit diem.
Illius Tellus concuſſa nutu
Trepidat, tactíque montes
Piceo fumo
Aëra involvunt: nebuláſque vertex
Halat. & craſſos agitat vapores.
Aſtra dum ſeptem libero curſu
Cœlum rotabit, non deſinemus
Rerum parentis celebrare nomen
Vagâ ſeptiſoni carminis Harmonjâ.
Accinámque modis ſacris
Indulgere juvabit,
Gaudióque maximo
Tollere in aſtra Deum.
Si quid erit malorum
Benignus ille tollet,
Sanctorúmque Chorus modulabitur omnis ALLELVIA.

ACTVS III.

SATHAN. ADAMVS.

Trimetri Iambici.

HOſtem ſuperbis pedibus adverſos mihi
Greſſus moventem video: jam Tempus meis
Se præbet iris: obvius tantum mihi.

Adamus ultrò vênit, & ſolus quidem.
Cœlicola monitor liberum ſocio latus
Deſeruit, odijs commodus nimium meis.
Nodis inextricabilis fallaciæ
Vinctum tenebo: ritè diſpoſui plagas:
Amore ficto facilis ambiguo dolo
Quæratur aditus. Lentus inimicum vides
Sathan, nec illum dente diſcerpis fero?
Frænum recuſat impotens animi ſui.
Sic ille magni ſummus armenti metus
Quoties bovem ſcrutatur, & longè lupus
Veſtigiorum perlegit tacitus notas
Silet, & citatum ſuſtinet tardus gradum:
Vbi præda rurſum propior ante oculos ſtetit,
Majore curſu ſequitur, & villos quatit,
Rictuque pandit ora, nec patitur moras.
Vbi ſpes refulſit, ira difficilis tegi eſt.
Tamen eſt tegenda: ſemper armatos minùs
Proviſa feriunt tela: ſimuletur fides.
Terreſtris orbis rector, & princeps freti
Adame, dextram liceat amplecti tuam.
Quò ſæva torques lumina, & gratos mihi
Avertis oculos? Renuis oblatam fidem?
Et me Tonantis dextra tibi non diſparem
Formavit, & me fulgidus civem ſuum
Conſpexit æther. Teſtor immitem mihi,
Tibique amicum, fortè nec ſemper, Deum,
Mihi mille amicos, cum beatus viverem

Fuiſſe, quem nunc tota deſtituit cohors
Secuta ſortem. Tu, rogo, clementior
Miſerere miſeri; ſupplicem dextram vide
Securum amoris pignus, æternum mihi
Promitte fœdus. Quid ſacrum quaſſas caput?
AD. *Deo rebellis, perfide, execrabilis,*
Procul nefandos corpore à puro amove
Tactus: amicus eſt mihi quiſquis Deo.
Tu ſempiternis propter horrendum ſcelus
Damnate pœnis procul ab aſpectu fuge
Pij, & beati. SA. *Gerere quid tandem juvat*
Inimica ſemper odia? Si neſcis, malum
Eſt mentis ira, pervigilque animi dolor:
Invidia, luctus, cura, triſtitia, & metus,
Odiumque nullos iſta felices premunt;
Miſeros perurit iſta carnificum manus,
Et pertinaces: Semper in melius trahi
Sors eſt beati. Pone nunc iras truces.
AD. *Seges ante multo mergite in cœleſtibus*
Metetur arvis, Terra ſidereas faces
Rotata tollet, proferet flammas mare,
Dabit ignis undas, antè vel caput in ſuum
Surſum relapſas volvet Euphrates aquas,
Vel pronus amnis Tigrin in fontem feret,
Quàm Pax, amor, fideſque cum Cœli exule
Mihi ſit ulla. Qualis agnos cum lupis
Concors ſocietas jungit, inter nos erit,
Dum lucis ortu vecta purpureis rotis.

Aurora

Aurora ſurget, Noxque dum ſtellas feret,
Dúmque ego beatus, túque dum infelix eris.
Sa. *Fortis potenti pugnet: in miſeros poteſt*
Qui bella gerere, ſpiritus humiles gerit.
Princeps ferarum nunquam in imbelles Leo
Deſævit agnos: non boves rictu petit,
Adverſus urſo bellicas tollit jubas,
Oriſque hiatum pandit, & dentem aſperat.
Nocere tibi me poſſe ſi credis, metu
Depone bellum: ſi minùs credis, tamen
Depone bellum, nec tuis dignum puta
Odijs, ſed ultrò pacis oblatæ fidem
Suſcipe: clientem perditum felix fove.
Ad. *Non eſſe dignum te meis odijs puta,*
Sed minùs amore es. Sa. *Non ità abjecti ſumus*
Adame, nec te vana fallat opinio,
Vt non amicis mente, conſilio, aut ope
Prodeſſe liceat: abſtulit ſortem Deus
Quam potuit, animis priſtinum manſit decus,
Et cor profundâ providum ſapientiâ.
Sunt reliqua nobis regna, ſunt vires ſuæ,
Multa & poteſtas. Deus ab ætheriâ tonans
Se jactet aulâ. Melius imperium tibi
Tellus fretúmque ceſſit: at nobis loca
Inferna parent. Subditum pedibus tuis
Regnum tenemus. Regitur umbriferum Chaos
Sceptris ſacrorum Dæmonium. Tua ſic meis
Imperia ſunt vicina, regnemus ſimul.

AD. *Quod Terra Sceptris paret & Pontus meis*
Donum eſt Tonantis, mutuâ qui me fide
Sibi obligavit: non ego illius cliens
Alios clientes quæro, non ſocios mihi,
Contentus iſtâ ſorte quam tribuit Deus,
Damnumque cenſens omne cum vitio lucrum.

SA. *Oblata ab aliquo quis recuſat munera?*
AD. *Quemcunque non tàm dona, quàm donans juvat.*
SA. *Perpetua gerere bella prodeſt nemini.*
AD. *Mihi quid nocebit? nîl timens, ſpero nihil.*
SA. *Miſero quod eſt neceſſe, felici expedit.*
AD. *Relligio quod permittit id ſolum expedit.*
SA. *Ferire fœdus ecqua relligio vetat?*
AD. *Communionem criminis fœdus vocas?*
SA. *Quodcunque noſtrum eſt fiat hoc pariter tuum.*
AD. *Veſtrum daturus, nîl potes præter malum.*
SA. *Nunquam nocebo: quà licebit prodero.*
AD. *Hoc ita futurum quis fidem faciet mihi?*
SA. *Promitto, polliceor, paciſcor, ſpondeo.*
AD. *Deſertor, exul, perduellis, perfidus.*
SA. *Iurabo magni Numen æternum Dei.*
AD. *Qui jam, quod in te eſt, ætheris regno caret.*
SA. *Si fallo, ſemper ira me illius premat.*
AD. *Pœnam timebis, qui nihil pejus times?*
SA. *Iuvare ſocios ſoleo.* AD. *Sic, ſimul ut ruant.*
SA. *Quia pertinaci fretus inſipientiâ*
Pacem recuſas, odia nunc primum mea,
Iraſque diſces. Semper immites dolos

Verſabo:

Verſabo: ſemper hoſtis inſtabo tibi:
Nullus vacabit fraude, vel bello dies,
Nec cœptus unquam cedet ex animo furor,
Vt qui negaſti fœderis conſortium
Patiare pœnæ. Parta, jam parta ultio eſt.
AD. *Sævi, feroci, dum libet, nec bellicas*
Leges recuſo, nec tuas metuo minas,
Cũi ſagittis cor tuis impervium
Divinus ambit triplici ſcuto favor.
Deum timere, nec aliud tutiſſimum eſt.
Exul recede. SA. *Vos quoque exilium manet.*

CHORVS.

Aſclepiadei.

EVphrates Capoten nate ſub ultimum
Montana Armeniæ qui peragrans loca
Tauro nubifero laberis obvius,
Qui vires reparans Cappadoce in ſolo,
Primùm flumineo victus ab impetu,
Præceps occiduas quà ruis in plagas
Invitum̃ pluvios diripit ad Notos,
Ripis non alibi nobilioribus
Incluſum poteras volvere gurgitem,
Quàm quà delicijs ſacra perennibus
Heden quadruplici lambitur alveo,
Tellus pinguis ubi, glebáque denſior
Amnis temperie diluitur tui.
Mundi illic opifex dextera fertile
Ornavit varijs arboribus nemus.

Pendent de gravidis poma parentibus,
Et ficus virides, prunáque mitia,
Et cum Cruſtuminis caſtaneæ piris.
Nux illic bifido tecta putamine
Incumbit folijs, junctáque amygdalis
Inſultant rubidis meſpila frondibus.
Sunt mites ceraſi, fragáque moráque
Ambo purpureis tincta coloribus.
Horti ſed medij quà regio patet
Binas Omnipotens condidit arbores:
Vitam hæc perpetuam denotat, altera
Præſignat duplicem planta ſcientiam:
Quam carpi vetuit, ne meritam trahat
Mortem culpa gravis: nam dolor, & labor,
Cum curis miſeris, & ſenium grave,
Ac mors, ac aliud, ſi quid erit mali,
Contingi vetito cortice delitent.
Adamus platani ſuppoſitus comæ,
Et vinctus viridi tempora laureâ,
Nudus cum tenerâ conjuge, cum libet
Ripis Aſſyrij fluminis aſſidens,
Sacro dulciſoni carminis alite
Divinæ celebrat mira potentiæ.
Auditis volucres cantibus advolant:
Certant dulce ſequi carmen aëdones:
Euphrates tacito murmure conſonat,
Quotquot ſunt fluvijs ſorte beatior.
Non illum ſuperat Nilus in æquora

Qui ſeptemgemino funditur oſtio,
Exundante Pharum gurgite qui rigat:
Non telo citior currere miſſili
Tigris contiguo proximus alveo.
Non qui per calidam labitur Indiam
Ganges aurifero flumine nobilis.
At vos ô homines, (ſi benè pergitis
Felices nimium!) parcite, parcite
Iuſſum legiferi ſpernere Numinis,
Nec fructus vetitâ carpite ab arbore
Omnis matre mali. Magna rebellibus
Semper pœna comes. Cernite Tartari
Clauſos ſollicito carcere Dæmonas
Depulſos patrij finibus ætheris.
Si ſunt grata Dei munera, ſi timor
Non dêeſt in Dominum, non amor in patrem,
Æternum dabitur vivere; ſic genus
Veſtrum perpetuâ ſorte beabitur:
Sic & cum geminis pacta parentibus
Contingent ſimiles federa poſteros:
Tranſcurret Domini gratia perpete
Hæredum ſerie, nec minor eſt Dei
Proſpectura pijs cura minoribus.

ACTUS IIII.

EVA. SATHAN.

Trimetri Iambici.

QVod illud animal tramite obliquo means
Ad me volutum flexili ſerpit viâ?

Sibila retorquet ora ſetoſum caput,
Trifidámque linguam vibrat:oculi ardent duo.
Arrecta cervix ſurgit,& maculis nitet
Pectus ſuperbis:cærulis picti notis
Sinuantur orbes,tortiles ſpiræ micant
Auri colore:lubricus longos ſinus
Tendit volumen,terga ſe in gyros plicant.
Nunc ſe reclinat flexile in collum caput,
Retróque ſpectat,quódque caudæ proximum
Nodatur agmen lumine adverſo videt.
Quodcunque tandem eſt,propius huc ad me venit,
Pronos propinquâ fundit anfractus viâ,
Longóſque tractus pedibus advolvit meis:
Attollit ora:miror an queat & loqui.
Sa. Vtilia certè proloqui,& poſſum tibi,
Et non omittam.Gratulor veſtris ego
Ceſſiſſe regnis,quicquid immenſo ambitu
Spatioſus aër claudit:Omnes beſtiæ,
Quas Terra,vel quas pelagus aut aër habet,
Gaudemus illâ ſorte:res eſt maxima
Parére natis non feros dominos pati,
Sed juſſa capere humana:ſi quando regit
Ratio regentes,ſervitus eſt libera.
Miramur unum hoc, omnis authorem boni
(Nam ſic vocari gaudet) iſtis fructibus
Vetuiſſe veſci. Tanta quæ menti ſedet
Invidia? qui Telluris imperium dedit
Is vos nec uno patitur horto perfrui?

Ev. Quaſcunq́ue plantas iſtud arbuſtum gerit,
Quoſcunq́ue fructus, uſibus noſtris gerit.
Hortum per omnem, queîs libet, veſci licet.
Sed arbor una, quà Nemus medium patet,
Vitanda ramis poma curvatis gerit.
His abſtinere Lex monet magni patris,
Ne fortè vitæ conſequamur terminum.
Sa. Ne crede pomi unius ob diſpendium
Debere certam protinus mortem ſequi.
Petire poterunt, perpeti vitæ Deus
Quos deſtinavit? Fata res omnes agunt:
Prævíſa tantum facimus, & ab alto venit
Quodcunque patimur. Scripta divinâ manu
Decreta durant ſemper, & recto ſuis
Connexa cauſſis cuncta vadunt tramite.
Ratus ordo, ſeries certa, dîa neceſſitas
Futura cogunt. Si volunt ea vos mori
Effugere non eſt: ſi negant, decerpere eſt
Impunè fructum, nullus impendet metus.
Negant profectò: nulla vos lethi manet
Conditio. nullus imminet mortis dolor.
Mors ipſa nihil eſt, ſi mihi credis, niſi
Mutationum perpetes ſemper vices.
Quidquid creatum eſt ut ſit, id nunquam perit,
Perítque ſemper: Lethifera quævis dies,
Natalis eadem eſt rurſus: hæc contraria
Pugnant per omne tempus, & vincunt ſimul.
Mors ipſa vitam, & ortus interitum trahunt.

Quod rere pœnam id eſſe Naturæ ſcias.
Metuere lethum non decet: poteris mori,
Certè, & renaſci in melius: hæc lex corporum eſt,
Perfectiorem ſemper ad ſortem trahi.
Sed forſan animam morte plectendam putes.
Deteriùs erras: Anima non didicit pati,
Sed agere tantùm. quod perit ſenſim perit.
Membris ſolutis: anima nec partes habet,
Nec ulla damna temporum patitur moris.
Subſiſtit in ſe, nec foris vitam petit,
Quam tribuit: ipſa ſola principium ſibi eſt.
Nec mihi profectò facilè perſuadebitur
Damnâſſe muſti poma perpetuo Deus.
Nam quis negarit opera divinæ manus,
Meritò probanda? Quicquid eſt, etiam bonum eſt:
Gratóſque rebus ſingulis fines dedit
Natura cur ſint, eſſe nil fruſtrà jubens.
Rebus creatis ſi putes uti nefas
Hanc, quæ cavenda fecit, accuſas manum.
EV. *Incerta juſſi cauſa: ſed certum tamen*
Parêre juſſo. quicquid eſt vetuit Deus.
Memini, recordor, iſta conditio fuit
Præſcripta nobis tradita Nemoris ſacri
Poſſeſſione, ne boni ſimul, & mali
Magiſtra noſtras planta pollueret manus.
Dare quenque jus eſt muneri legem ſuo.
SA. *Cur non & illam muneris legem dedit,*
Cum Terra veſtris, cum juberetur ſalum

Parêre

Parêre Sceptris? aliqua magnaq́ portio eſt
Telluris arbos, dona quæ facit irrita.
Si licet, & æquum eſt muneri ſemper ſuo
Detrahere partem, nulla tandem gratia eſt.
Totum redire dona repetenti poteſt.
Mutare factum parte nec minimâ decet,
Si liberalis ſemper, idémque eſt, Deum.
Perpende cuncta: majus & ſecretius
Aliquid neceſſe eſt ſubſit: indubiè ſubeſt.
Invidit illud, quod latet fructu, bonum,
Scientiámque, quæ bonum miſcet malo,
Servare ſoli conditam voluit ſibi:
Prò ſervitus odioſa, famulatus gravis,
Curari ab illo, ſola cui cura eſt ſui!
Malus eſt vocandus, qui ſui cauſâ eſt bonus.
Vtrum videtur, proſpicitne, an deſpicit,
Qui cuncta largo gloriæ pretio facit,
Sibi ſummâ ſervans? O jugum intolerabile!
Quàm ſatius eſt non eſſe, quàm non liberum?
Centum fideles militum cœleſtium
Turmas, beata ſors quibus crimen fuit,
Et invidendum robur, & paritas minax,
Pepulit Tyrannus, & gravem indixit fugam,
Cœlíque alumnos inferæ denſis ſpecus
Damnavit umbris: Quicquid orent ſupplices,
Culpámque, ſi qua eſt culpa, fateantur ſuam,
Aures reorum precibus inclemens negat,
Non deſituro puniens miſeros malo.

Si nunc recentis imperi primordijs
Altum elevatos graviùs iterùm deprimit,
Quid faciet olim? quam putas ſubdent facem
Animo inſolenti tempus, & regni mora?
Bonum eſt cavenda diſcere alieno ex malo.
Si vos amaret, mortis auferret metum:
Si non, quod unum reſtat, excuſſo jugo
Vos vindicate. ſtatis in veſtro ſolo.
Ætherea non hic aula, non exercitus
Cœleſtis iſto caſtra diſpoſuit loco.
Accingere animo: Servus aufugiat metus.
Nullum periclum ſine periclo vincitur.
Cùm res ſit anceps certa res audacia eſt.
EV. *Procul abſit: abſit hunc ut invidiæ putem*
Stimulis peruri, & angi ab alieno bono,
Qui tribuit ipſe, quique quod libitum eſt, habet.
Telluris ergo dominus, & dator arborem
Invideat unam? Dira Sathânum ſuæ
Rebellionis quod luat pœnam cohors,
Nihil illud ad me: ſed tamen juſtum puto.
At tu, recenſe, cujus ingenium feras
Exſuperat omnes, quod putes vetito bonum
Latere fructu. SA. *Nomen hoc ipſum docet.*
Animæ eſt voluptas ſcire, res cognoſcere
Bonas maliſque: nam malum non eſt malum
Quà ſcitur: una hæc mentis eſt felicitas.
Species in alijs quæ renident ſingulis
Congerere in unum, & intus oculis integrum

Perſpicere Mundum, cuncta cum cauſis ſimul
Inſculpere animo, maximum cujus bonum eſt
Notitia veri certa, falli neſcia.
Nam perſpicaci mentis intellectui
Patet univerſum, tendit ad finem vigor
Rationis iſtum, quoque plus invenerit
Minus quieſcit id quod ultrà eſt quærere.
Ita ſemper animum cura diſcendi quatit,
Nunquámque quod habet reſpicit, ſed quo caret.
Deus unus omnes nec laborans vindicat
Sibi notiones, ſponte quæ ſeſe offerunt,
Cunctas ſcit artes, cúmque non diſcat ſapit:
Socium recuſat: cæteris animantibus
Mentem aut negavit, aut, quod æquè injurium eſt,
Mancam, atque mutilam tribuit, & ſapientiæ
Condit moleſtâ ſtudia ſollicitudine.
Ipſiſque vobis, quos ſibi promiſerat
Similes futuros, iſtud invidit bonum.
Arripite pacti jura: promiſſum dari
Ipſi occupate: quod tenax renuit Deus
Dabit arbor iſta, numen arcanum gerens.
Equidem ſciebat ille, quâ primum die
Comeſta ſuccum poma vitalem darent,
Ceſſuram ab animo protinus caliginem,
Cæcáſque tenebras, nîlque diſtantes Deo
Vos cognituros, quicquid aut nocet, aut juvat.
Hinc illa lex eſt quæ ſacro fructu frui
Vetat: hinc inanis mortis injectus timor,

Mala

Mala ut timentes abſtineretis bonis:
Mihi tu monenti crede: nulla ad jus ſui
Sibi vindicandum negligenda occaſio eſt.
Quod non habes tibi quære, ne perdas tua:
Nunc ille forſan mobilis rector Poli
Eripere, quicquid antè tribuit, cogitat:
Tu fac, quod ille cogitat: fraudem occupa.
Difficilis eſt res gloriæ cuſtodia
Niſi vetera ſervans ſemper acquiras nova.
Conceſſa niſi quis uſque ſuſtineat bona
Ducet ruinam pondus, & dominum premet.
Captare lucrum, maxima eſt damni fuga.
Quæ res agatur cerne, ſi quicquam vides:
Ex homine morſus unus efficiet Deam.
EV. *Adeóne & alia præter hominum pectora*
Ratio occupavit? bruta namque hæc beſtia eſt,
At bruta certè verba non viſa eſt loqui.
Fermè ut prohibitos edere fructus audeam
Facerent & eius pervicax perſuaſio,
Et mea cupîdo. Fortè melius ſenſuum
Tamen eſt doloſas illecebras vincere,
Quàm ſe ut voluptas vera nobis ſubtrahat.
SA. *Permitte vanis ne ſuperſtitionibus*
Te faſcinandam, néve naturæ tuæ
Demens rebella: ſi quid eſt placitum tibi,
Puta licere, quóque te ſenſus rapit
Sequere, nec ipſi prælium indicas tibi:
Natura tutrix, & parens animantibus

Senſus

Senſus magiſtros tribuit, ut rerum foris
Percepta facies intimarum virium
Illas moneret; profuturæ ſi forent,
Vt appetitus viſa ſequeretur bona,
Sin obfuturæ, fugeret: haud temere inſita
Menti cupido fertur ad finem ſuum.
Odore, viſu, quicquid aut guſtu placet
Naturæ amicum eſt: nanque odos, color, & ſapor,
Et ſi quid iſtis ſimile, non per ſe juvant,
Sed appetitum res ad optandas trahunt,
Deſideratis perfrui dantes bonis.
His ducibus utens conde viſceribus tuis
Cupita meritò poma: continge arborem:
Decerpe pendens aureum ramis onus.
Iam reſtat ori tantum ut admoveas tuo.
Minimum eſt, quod unum facere te magnam poteſt.
EV. *O dulce pomum, quàm tua hæc ſpecies meis*
Arridet oculis, quàm vel olfactus juvat?
Vtinam ſoluto te metu poſſem frui,
Túosque ſuccos diſcere, & magnas mihi
Vires, vel uno hoc, quod ſub aſpectu latent.
Satiſne ratio docuit, interitum pati
Corpus nec animum poſſe, ſed vanum metum
Torquere mentes? ſatin' & invidiam Dei
Lex illa monſtrat quæ vetat pomo frui?
Nonne illud etiam patuit æqualem Deo
Me cognituram quicquid aut gratum juvat,
Aut triſte lædit? nonne ſenſus præcipit

Guſta-

Guſtare magnam commodi faciens fidem!
Quid hoc quod artus horror incuſsit meos,
Et ima gelidus oſsa perrupit tremor?
Cauſam timoris neſcio: timeo tamen.
Placet admovere poma, ſed renuit manus
Parêre, dextra pondus accuſat ſuum,
Alioque fertur. Fructus à labris fugit,
Et fixa pigris ora ſub mális ſtupent.
Arbórquè trepido tota ſubſiluit ſolo.
Quid agere tentas mulier? authorem boni,
Qui cuncta fecit, te beavit commodis,
Vnámque rebus antepoſuit conditis,
Hunc tu paras deſerere? res brutas duas,
Hoc reptile animal ſequeris, & ſenſus tuos?
Meliora præfer monita: ſi nîl te movet
Timor ille mortis, dona ſed moveant Dei.
Nihil iſta proſunt? at mali moveat metus.
Perpende utrumvis. Cogita præſens bonum,
Malum futurum. Pendula eſt ſententia.
Mens ipſa dubio trepida conſilio labat.
Quid tamdiu hæres anime, quid te interrogas,
Quid te laceſsis, atque conſilium diu
Tam facile torques? Vince: nodos diſseca.
Diffringe quicquid obſtat, & tete expedi.
Expende quantum præmij ſecum ferant
Arcana pomi: Quicquid eſt rerum ſcies,
Novûmque fies Numen: audendum puto.
Humana morſu pendet ex uno ſalus.

Non

Non ſola tua res agitur: hâc horâ potes
Prodeſſe mille ſæculorum poſteris.
Servóſne parere an liberos melius putas,
Homines, Deóſne? ſors utra eſt felicior?
Ignoſcet ipſe fortè ſi videat Deus,
Mihi videri melius eſſe nihil Deo.
Quod ſi ſeverus crimini veniam meo
Non eſt daturus, hoc quoque vocabit nefas
Tam propè fuiſſe: magna delicti mei
Iam pars peracta eſt: arborem vetitam attigi,
Pomúmque carpſi, quódque dicet peſſimum
Deliberavi: conſtat accuſatio,
Faciámque nîl ut pejus, inſcribet dicam
Quod pœnè feci. Quid juvat cum ceperis
Labare retrò trahere pendentem pedem?
Res eſt inepta, & ſtulta peccati modus.
Culpam per aliam tuta fit culpæ via.
Aut me ſuperni lege ſpretâ Principis
Divina faciet læſa Majeſtas ream,
Aut crimine ipſo criminis felicitas
Abſolvet: hoc, hoc potius eligere eſt meum.
Iam dextra manus perfice, atque ori admove,
Iamdudum hianti, quicquid hoc pomo latet:
Túque os beatâ recipe fructum ex arbore,
Vt mox receptum ventris immittas cavo.
O perſuävis guſtus, ô tenero ſapor
Gratus palato, quàm tuus ſuccus juvat,
Quàm me beâſti! reſtat hoc unum modò,

H *Tanti*

Tanti ut maritus particeps ſiat boni.
SA. *Fiat profectò: plurimum dices meis*
Debere monitis, cùm, quod eſt res, ſenties.
Scies bonum, ſciéſque, ne dubita, malum:
Hanc auferet tibi nulla notitiam dies,
Similéſque matri liberos paries ſuæ;
Iam ſe recludent lumina, & quod nunc latet
Dabitur tuëri: Quid, precor, majus petas?
Et ecce, (primum ſortis indicium tuæ)
Commoda maritum duxit huc occaſio.
Ego ad latebras tacitus abrepam meas.
Ad delicatam tu virum invita dapem.

ADAMVS. EVA.
Iambici Trimetri.

L*Entè per omnem, ſæpè ſuſtento gradu,*
Spatiatus hortum, repeto vix ſerò locum,
Primum unde noſtræ fuerat auſpicium viæ.
Ab arbore iſtâ ſumpſeram primordium
Non deſituræ ſacra quæ vitæ nota eſt.
Exinde lato, ripa quà jacet, ambitu
Reliquas pererrans ſingularum fructibus
Satiatus iſthuc redeo: nam nuſquam obvia
Mihi facta conjunx dubito quo lateat loco,
Et quo petacem prandio expulerit famem.
Fallórne, an ipſam video? propè ſiſtam gradum.
Vbi tamdiu hæres? cujus alimento dapis,
O ſocia thalami, corporis vim ſuſtines?

EV: *Hæc*

EV. *Hæc ipſa viridem gramine impoſito thorum,*
Hæc arbor umbram tribuit, hæc etiam cibum.
AD. *Quid video? nónne hæc illa, quam Deus imperat*
Vitare, cujus fructibus paſci vetat?
EV. *Adame, ſic eſt: vetuit attingi arborem,*
Fructum caveri juſſit: hoc ipſum fuit
Cur non caverem: Cerne quàm rutilus color
Præſtringat aciem luminum: Ecquid tu putas
Intus latere, ſi foris tantum eſt boni?
AD. *Gelidus per artus vadit excuſſos tremor,*
Exangnis aſto, crinis erectus riget.
Vix ipſe valido ſpiritus gemitu viam
Perrupit: omnis adſit huic miraculo
Spectator Orbis: ipſe homo gemit, & tremit.
Quod facinus aures pepulit? haud vanas Dei
Percipio leges: Ipſe jam videor mori.
EV. *Non eſt, marite, crede cur trepides: nihil*
Eſt perpetratum, quod citet ſuſpiria.
Quin potius aude tu quoque, atque hilaris cape
Tibi conjugali traditum pomum manu.
AD. *Egóne ut ſupremi juſſa contemnens Dei*
Purus profanam te ſequar, vir feminam?
EV. *Cum judicâris velle quidquam eſt dignius,*
Quàm cum voluëris cæca judicia exſequi.
In arbitrando crimen eſt properatio.
Tu me immerentem voce condemnas tuâ
Præjudicatam proferens ſententiam.
Feciſſe fateor: jure non factum nego.

AD. *Herile juſſum jure contemni putas?*
EV. *Si ſceptra iniquo rector imperio tenet.*
AD. *Si dominus æquus eſt ames, ſi non, feras.*
E. *Servire & ipſo turpius letho putes.*
A. *Servire magno eſt ſumma libertas Deo.*
E. *Quin hoc laboras potiùs ut fias Deus?*
A. *Ex homine Numen effici ratio negat.*
E. *Dabit illud arbor, quam tuis oculis vides,*
Omnis magiſtra quæ boni eſt. A. *eadem & mali eſt.*
E. *Mala ſcire gaudet ipſe, quem laudas, Deus.*
A. *Vt careat: at tu experta percipies malum.*
E. *Procul abſit omen: me facinoris non piget.*
A. *Peccare nolle prima virtutis via eſt,*
Pudor ſecunda: facta didicit reddere
Infecta nullus: alterum ſupereſt iter.
Revertere illuc, unde fuerat tutius
Abiiſſe nunquam. Vix enim ad mores bonos
Serò reditur. Quem malorum pænitet,
Pudétque verè, eſt innocenti proximus.
Spes aliqua veniæ eſt, ſi potes reſipiſcere.
EV. *Quantùm moveri neſcius ſedeat Deo*
Amor ultionis pœna Sathânum docet.
AD. *Quæ ſpes tibi eſt reſidua?* EV. *deſperem ut nihil.*
AD. *Deus eſt timendus.* EV. *temerè quis metuit parem.*
AD. *Moriêre.* EV. *Vivam.* AD. *digna pœnâ es.* EV. *præmio.*
AD. *Quid miſera fies?* EV. *Diva.* AD. *quo tandem modo?*
EV. *Virtute pomi.* AD. *quo frui vetuit Deus?*
EV. *Quia invidebat.* AD *Maximum hoc veri eſt nefas.*

EV. *Per*

EV. *Per conjugalem te precor ſupplex fidem,*
Tuos per oculos,& per amplexus meos,
Per,ſi quid unquam dulce fuit ex me tibi,
Ne me relinquas:junge te ſocium mihi,
Vt nuptialis pacta ſerves fœderis.
Si conſequatur vota ſuceſsus mea,
Felicitatis te eſſe participem decet.
Si non,(quod abſit) miſerias opus eſt tuum
Meas levare vocis alloquio tuæ,
Socio labore,conſilî ſapientiâ.
Vtriuſque ſortis inita ſi communio eſt,
Neutram recuſa ferre.Quin potius metus
Omnes omitte:proſpero res in ſtatu eſt.
Felix mihi animus ſorte divinâ viget:
Te quoque beabo:profuit pomi mihi
Guſtus vel unum hoc maximè,quod ſentiam
Sine labe poſſe,quicquid eſt,carpi,& capi.
Sed me fidelis cura ſollicitat tui,
Quod ſcrupulorum mole te infeſtus graves.
Collo ſuperbum cum Superſtitio jugum
Imponat,hoc tibi tute ſervitio places.
Dum te beatum credis,irritas malum,
Donúmque ſponte,renuis ablatum,tuâ,
Carere dignus. Quid necas magnam indolem,
Et te ipſe torques?Natus es majoribus.
Effunde habenas mentis,& laxa impetum,
Quem malè coërces:non quid habeas,ſed vide
Quid habere poſſis.hoc erit verè tuum,

Quod, non ab alio traditum, debes tibi.
Metu vetaris? hoc timere ipſum time.
AD. *Non eſt pavere fortis: odium criminis*
Probo, quàm timorem. Sed amor adverſus Deum
Me deligatum retinet æternâ fide.
EV. *Amare ſtultum eſt quempiam, tanquam effici*
Non poſſit hoſtis: ſic amicum dilige
Olim nocendi ne ſit inimico locus.
Sin juvat amoris candidi ductum ſequi,
Nec hoc vetabo: quid maritali fide
Prius eſſe oportet? huc ſe amor vertat tuus,
Quò ſacra thalami jura, quò fœdus vocat.
Quod facinus unquam tale, quod tantum nefas
In te, marite, cæpi, ut in dubium meam
Fidem vocares? Me beatam nuncupo,
Suſpecta quæ ſum conjugi? verè mala,
Mala ſim neceſſe eſt, ſi nec Adamo proba.
AD. *Quid eſt agendum? lubricas agitant duo*
Curas amores: hinc Dei, atque hinc conjugis:
Vterque magnus: illa ſuſpectam mihi
Se malè putabit, ille contemni arguet.
Grave eſt & hoc, & illud: utinam cogerer!
Eligere durum eſt: hæreo, animi pendeo.
Sicut reciproco littus alluitur mari
Fervente fluctus ſemper alternâ vice,
Sic totus agitor, refluóque æſtu feror.
Pars utra vincet? Magne te teſtor Deus,
Hactenus in ipſâ conjuge haud aliud mihi

Placere

Placere, quàm te; cujus illa umbram refert.
Sociæ honorum, vita quo auxilio mea
Suſtenta floret, una quæ mecum caro eſt,
Quid huîc negandum? vilis unius tibi
Iactura pomi eſt. Vt ne contemnam boni
Legem parentis? Fallor? an voluit Deus
Conjugis amores anteferri cæteris
Etiam parentum? Voluit: huc Pomum mihi.
EV. *Vox Homine digna. Sume ſecretum bonum*
Adame, ſume: Quicquid eſt uſquam mali,
Bonique diſce. ſentiat Deus æmulum,
Socium recuſans. Nos quoque expectant preces.
Sed quid tibi ambit languidas pallor genas,
Caputque nutat? omne ruat in me malum,
Si quod futurum eſt: Parcat, ô, parcat viro.

CHORVS.
Sapphici cnm Adonijs.

LVgeat triſti revolutâ motu
Ætheris ſedes, celeréſque mœſtum
Næniæ cantum meditentur Orbes.
Lugeat mœrens miſeros alumnos
Terra, & humanam doleat ruinam
Pontus inſuetis agitatus undis:
Túque qui curru rutilo diurnum
Promis, & celas decus alme Titan,
Fac tuos condant tenebroſa vultus
Nubila, invitus mala ne tueri

Tanta cogaris, nitidúmque Cœlum
Contrahat nubes pluvias, ut aër
Triſtia Adami mala lachrymantes
Exprimat imbres.
O miſer verè, miſer ipſe neſcis
Obrutis quantis jaceas periclis.
Heu tibi qualis cumulus laborum
Imminet! quantis agitaris undis
Neſcius ſortis! tibi jam pateſcet
Corporis nudi pudor, hunc amictu
Stulte frondoſo, foliſque tectum
Rere ficulnis: maleſanus error
Sopit interni ſtimulum pudoris.
Quis ſtatus mentis tibi, cùm videbis,
Conſcius tanti ſceleris, ſequelam
Vindicis pœnæ, meritóque tandem
Te tuâ agnoſces periſſe culpâ?
Mille te peſtes miſerum ſequuntur:
Criminis luctus memor, & malorum
Pertinax ſenſus: tibi mors ſeveris
Inſtat à tergo metuenda telis.
Occidis magni decus antè mundi,
Cujus & Tellus priùs & profundi
Gurgites regnum metuêre ponti.
Illa fictorem referens imago
Occidit: tecum ſeries minorum,
Spéſque tam magni generis peribit.
Quanta delicti fuit execrandi

Culpa,

Culpa, quæ necdum genitos peremit?
Si Deus triſtem tibi mortis horam
Proroget clemens veniâque largus,
Quàm tua in longum mala proferuntur?
Languor inſtabit, maciéſque turpis
Corpori, ærumnis comes imminebit
Morbus, & morbo gravior Senectus.
Semper urgebunt alij labores,
Cura te ſemper nova, peſſimúmque
Vita malorum.
Poſteros omnes Hominum novercæ
Ira Naturæ ſequitur, malíque
Criminis ſeros amor in nepotes
Tranſit à primo comitatus ortu.
Lædet hæredes ſceleris paterni
Dira contages, animíque morbum
Nulla delebit mora ſæculorum.
Dicet infami vitio parentum,
Dicet Adamo generata proles
Vnius morſu cecidiſſe pomi.
Dicet infelix ſoboles: ſceleſtâ
Omnium matrem ſimulatus anguis
Fraude decepit: Mulier maritum
Capta fefellit.

ACTVS QVINTVS.

SATHAN.

Trimetri Iambici.

CEſſere voto: uncta: ſublimem meo
Superis ſuprior vertice exæquo Polum.
Nunc regna Terræ teneo, nunc Sceptrum maris:
Aëria ſpatia ſub meum miſi jugum.
Iam pœna me delectat, exilium juvat,
Lætetur Acheron omnis, omnis gaudeat
Phalanx Averni: Vindicem agnoſcant ſuum,
Regúmque Regem. Iam ſatisfeci & mihi:
Quin multa reſtant: nondum Homo, nondum mala
Suprema ſentis: fertile hoc horti ſolum
Deſerere juſſus profugus ignotas procul
Inquire terras: verte, quo cupies, gradum:
Quocunque curres regna percurres mea.
Ego te per omne: pertinax latebras premam,
Furijſque tradam: nulla reſtabit fuga,
Nec tempus unquam faciet ærumnas leves:
Longâ malorum ſenſus accreſcet die.
Errabis agris ſemper incultis, egens,
Exul, pavens, inviſus, & dubij Laris,
Tibique ſoli ſors mea invidiam dabit:
Atque anima multis feſſa vix tandem malis
Inferna viſet regna: non tecum mea
Morientur odia: liberos gignes mihi.
Ita perge Sathan: omne perturba genus:
Certetur omni ſcelere: nil vetitum ſibi
Putet ira: frater dirus in fratrem ruat.
Majore rurſus ſcelere mulctetur ſcelus.
Creſcat furor cum ſobole: pæniteat Deum

Hominis

Hominis creati: nec ſuorum pignorum
Aſpicere nutrix Terra ſuſtineat nefas,
Redire ut iterum tentet ad priſcum Chaos,
Seſéque, & illos vindice immergat ſalo.
Adame, quantum eſt hæc quod ignoras mala?
Sed & hoc peribit: cuncta non uno impetu
Simul patebunt: corporis te dedecus
Primum movebit: conſues frondes tibi,
Nec ſic abibit, ille qui tegitur, pudor.
Tacitus deinde conſcijs præcordijs
Flagrabit æſtus: ſtabit ante oculos tui
Imago ſceleris: illa te quatiet metu:
Tunc incitatus ſemet accendet dolor,
Vultusque in omnes ibit, & ſententiam
Sibi dicet ipſi: candidum exoſus diem
Pudor ille mentis abditas quæret ſpecus.
Spes fugiet: animus turbidus ſeſe obruet.
Libet videre crimen agnoſcens ſuum.
Quos det colores, membra quis teneat ſtupor,
Aut primus in quæ verba prorumpat dolor.
Videre miſerum non juvat: dum ſit miſer
Conſpicere cupio. Subdoli anguis commodam
Servabo formam, ſimul ut intuear duos
Neutri videndus: Ibo, & allabar prope.
Sed ecce rapido motus Adamus gradu
Proſiluit amens: omnis in facie eſt color.
Stetit furenti ſimilis, & certè furit.
Abit, hæret, errat, ſiſtit: ardeſcunt genæ

Mutatur habitus: pallor ardorem fugat.
Trepidat, reſultat, queritur, exclamat, gemit.
Tacitos dolores ore turbato exerit.

ADAMVS. EVA.
Iambici Trimetri.

QVis ſum? quid egi? quò feror? quod me ſolum,
Quæ regio tantis cernit oppreſſum malis?
Inopemne ſervat dives Hedenis nemus,
An triſtis Acheron? dira Furiarum loca
Aſpicere videor: Mors quid à tergo mihi
Crudelis inſtas? pectus hoc, pectus feri.
Miſeranda conjunx agmen infernum vides?
Ego video: dirum Noctis obſcuræ genus
Me circum oberrat: ducit omnem exercitum
Scelus, & rebellis faſtus, & facti pudor.
Hinc pallidorum longa morborum cohors,
Turpiſque egeſtas ſequitur, & duri labos
Sudoris author: parte ab hâc luctus venit:
Tremulo ſenectus tardà procedit gradù
Vicina lethi. Turba curarum ingerit
Se parte ab omni: nec procul triſti Fames
Metuenda vultu ducit ærumnas graves,
Belliq́ue nutrix impotens Diſcordia
Tollit, cruentas ſanguine innocuo, manus.
Perſpicere nequeo: ſemper ulterius malum eſt.
Ev. *Quæ fingis amens ſpectra? quis te agitat furor?*
Quóve æſtuantes huc & huc vultus refers,

Aciéque

Aciéque falſas turbidâ ſpecies vides?
Compeſce ſenſus: comprime affectus truces,
Parúmque ſanæ mentis affectum doma.
Reſipiſce, & animos ipſe pacifica tuos.
Comprimere primos impetus ſi non potes,
Novuſque mentis raptus ignorat modum,
Recolligendo tempus indulge tibi,
Rationis uſu ſpiritum indomitum exue.
AD. *Quin parte ab omni rector aſtrorum tonas,*
Quin motus irâ bella ventorum undique
Immittis: omne nubibus cœlum horridis
Convolvis: imbres cadere collectos jubes?
Oppono cuivis vile ſupplicio caput.
Intende dextram: vindices flammas Poli
Iaculentur ambo: Stelliger ſubitâ cadat
Mundus ruinâ: non poteſt in nos gravis
Errare lapſus: me, vel hanc Cœlum premat,
Vtriuſque merito. EV. *Sana meditari incipe,*
Et imprecari ne velis demens tibi.
Decreta ſi qua eſt pœna non tardè venit.
AD. *Quæcunque fuerit, ſera ventura eſt mihi.*
Iamjam decebat ſtare in inferno ſpecu
Vtrunque noſtrûm: ſuſtines ſceleris reos
Geſtare Tellus? concavos aperi ſinus
Cur non dehiſcis, aut in Acherontis plagam
Te, nóſque mergis? gemina compages ſoli
Pateat revulſa, quáque ſtamus noxij
Opaca Tellus corpora abſorbeat duo.

Sin

Sin forte terra pondus ignavum jacens
Neſcit moveri, veniat è ſilvis fera
Sævam minaci fronte concutiens jubam,
Quæ lacera toto membra diſpergat ſolo,
Aut aliqua roſtro viſcera hæc curvo rapax
Perfodiat ales: Conſcia aut ſceleris mei
Impellat Heden integrum lapſu Nemus,
Totámque ſilvam. caudicum pondus grave,
Truncóſque ſupra corpus excipiam meum,
Hortíque tumulo condar; atque iſtam arborem,
Quæ paſſa ſcelus eſt, in meum vertam caput.
EV. *Meliora, conjux, loquere: nemo ſic perit*
Vt non ſalutis ſpe foveri debeat.
AD. *Quæ ſpes ſalutis poſt nefas tantum mihi?*
Heu, quos dolores, quos miſer queſtus dabo,
Vocésque quas? quæ verba ſufficient mihi?
Periere virtus, jus, fides, felicitas,
Et qui redire perditus neſcit decor.
Noſtram ſupremi Numinis legi gulam
Prætulimus, animæ corporis ſtimulos bono,
Hortóque pomum. Nulla conſpiciet dies
Pulſâ miſeriâ priſtinis nos gaudijs
Iterum fruentes. Inſtat æternus dolor,
Pœnæque triſtes: deſeruimus nos Deum,
Et nos Deus deſeruit. O dirum nefas,
O ſcelus iniquum, triſte, & auditu horridum!
Mens illa ſoli nata famulari Deo
Emancipari g. ſtit, & ſeſe abdicat:

Sui eſſe juris voluit, & vili arbori
Servire cœpit: Animus almo debitum
Parenti amorem vertit in ſe, nec malo
Contentus iſto devio res infimas
Greſſu ſecutus iſta præfecit ſibi,
Quibus imperabat, paſſus & contagium
Rerum minorum ſponte decrevit ſuâ.
Relinque corpus, qui reliquiſti Deum
Crudelis anime, & eripe hoc cruciatibus
Vivum cadaver: quid juvat pœnas tuas
Proferre? poſſum, debeo, cupio mori.
EV. *Supplicia votis aggravas demens tuis.*
Mortalitatem pateris, & mortem petis.
AD. *Pereo ante mortem: ſpiritum exemit dolor.*
Infamis author ſceleris, exoſus Deo,
Miſerque, jam ſum ſine ſepulcro mortuus.
Longas omittam languidæ pœnæ moras,
Nec æger ultrà funus extendam meum.
Quodcunque vitæ reſtat, abrumpam manu
Iuſte ſeverâ. quid mihi exſequias nego?
Quid pereo vivus? quid meos Manes moror?
Ibo, ibo ſolus, quà rapax amnis cadit,
Vbi prona tumidus ducit Euphrates vada,
Fluvioque merſus procul Erythræi ad maris
Provolvar undas. Tu manus potiùs veni
Miniſtra pœnæ, quæ fuiſti criminum:
Perfringe guttur ictibus, pomum priùs
Cui tradidiſti, concitatis pulſibus

Dirumpe

Dirumpe ventrem, viſcera infauſta extrahe,
Dapéſque iniquas, córque deliĉti capax
Evelle: nuſquam corpore in toto tuum
Vulnus peribit. Morte ſanandum eſt ſcelus.
EV. *Quod odit auget, ſcelere qui punit ſcelus.*
Dignum eſſe vitâ monſtrat hoc, dignum nece
Quod te putâris. Majus iſto crimine
Crimen relinquet vita, ſi mortem petis.
Non vincla rumpens anima corpus deſerat,
Sed corpus animam. ſi tuam expectas diem,
Iam præſtitutum tempus aderit, ſpiritum
Cum laſſa ſponte membra dimittent ſuâ,
Iugúmque ſolvat arbiter vitæ Deus:
Illo jubente morere. nunc inſaniâ
Rogo ne ſubactus fata præcipites tua.
AD. *Non ita pudorem cæcus extinxit furor,*
Vt, quicquid uſquam eſt, impio aſpectu fugem.
Piſces, volucres, cúmque jumentis feras
Sentire video criminis pœnas mei:
Ea cuncta clamant: Morere, decede, occide,
Et exſecrandi cápitis intuitu leva
Cœlum, atque terram: ſpiritum nocuum expue.
Paremus: orbem hunc integrum purgabimus.
Minimè reſiſtam: Vota conveniunt benè.
Cur animam in iſtâ luce detentam morer
Mihi cauſa nulla eſt: omnia amiſi bona,
Regnum, ſalutem, gaudium, mentem quoque:
Nunc vita reſtat: hanc quoque amitto libens.
EV. *Quo*

Ev. *Quò te ipſe conjunx impiæ morti ingeris?*
Quò pergis amens? fortè poſt vitæ moram
Morière melior. Temporis longo potes
Proficere tractu: quicquid erraſti hactenus,
Mea culpa certè eſt. pœna me meritam manet:
Ego te feſelli miſera. Iam facies ſcelus
Vltrò, atque certus? unicum hoc aufer malum.
Mihi crede conjunx. Ad. *Credidi ſemel, & nimis.*
Ev. *Periméſne memet?* Ad. *Nolo, ne poſſim, occidā.*
Ev. *Ratione quamvis careat, & flecti dolor*
Magnus recuſet, pauca miſerandæ precor
Verba ut maritæ mente pacatâ audias,
Quæ potiùs ad me tute deberes loqui.
O Fata! mulier miſera ſoletur virum,
Et ipſe leges ſexus invertat ſuas!
Quin refice monitu femina hunc, monitu tuo
Quem perdidiſti. melius alloquium incipe.
Non nunc ut omnes cordis affectus domes
Peto, vel dolores mente tranquillâ ut feras,
Vincáſque temet (licet & hoc fuerat viri
Superare luctus, nec malis tergum dare)
Adame, tantùm vivere ut cupias precor.
Tu fortis eſſe credis, atque animi gravis
Mortem minacem ſpernere: ego contrà puto
Timidum vocari jure, qui vitam timet.
Contempſit ille, qui nec optavit mori.
Virtute fretus maſculâ adverſa impetu
Perfringe ſolido, nec tuas damna manus:

Quodcunque quærere, eſt error: immeritò cadis,
Niſi te ipſe perimens jure te perimi facis.
AD. *Vnde illa virtus tanta tantis in malis*
Emerſa lucet? aliquis etiamnum ſapit,
Et recta ſuadet? multa, quæ memoras, ſcio,
Ratione fulta, ſed dolor cogit ſequi
Etiam improbata: fertur in præceps ſciens
Animus, negátque ſana conſilia exſequi.
Furore teneor: ille me inſontem poteſt
Iam facere ſolus: ille me abſolvit reum.
Socia malorum deſere infauſtum virum,
Deliberatas luere me pœnas ſine.
EV. *Per ſancta thalami ſacra, per jus nominis*
Quodcunque noſtri, ſive me natam vocas
Ex te creatam, ſive communi patre
Ortam ſororem, ſive potiùs conjugem,
Ne me relinquas: nunc tuo auxilio eſt opus,
Cùm verſa ſors eſt. unicum lapſæ mihi
Firmamen, unam ſpem gravi afflictæ malo
Te mihi reſerva dum licet, mortalium.
Ne tota ſoboles pereat unius nece.
Si te miſeriæ, ſi tuæ clades movent,
Hoc cogitato: ſumma tetigiſti mala:
Auferre quidquid mors poteſt, vita abſtulit.
Nil pejus ultrà reſtat: in tuto es loco.
AD. *Bona mors futura eſt, quæ tot extinguet mala,*
Aut non moleſta, ſi nihil pejus dabit:
Placet interire, parce vanis vocibus.

EV. *Ergóne vacuos vidua, deſerta, & vaga*
Curram per agros, miſtáque errabo feris?
Si, Adame, pietas vera quærenda eſt tibi,
Me perime meritam: ſi tibi ignotum eſt ſcelus,
Ego ſum magiſtra: ſive tu jugulum petis,
Præbebo jugulum, ſive adhuc ſterilem cupis
Invadere uterum, dirue anfractus cavos
Sinuantis alvi. Facere me quicquam mali
Authore dubitas? Non ſoles. dextram para.
Si tu recuſas feminæ facient manus
Opus virile. Non ego inſons occidam.
Non ſi ipſe Cœli rector in mea viſcera
Vertat coruſcas fulminis trifidi faces,
Pœnas rependam ſceleribus tantis pares
Scelerata conjunx: non ſat eſt quod ſum nocens,
Feci nocentem: nec ſat eſt: niſi mors vetat,
Pariam nocentes. ego duplex feci nefas,
Cum fallor, & cum fallo: reſtat tertium.
Quid trepida ceſſas? Luere quid doctrix mali
Pœnas recuſas? Anime, quid torpes adhuc?
Luctus, dolores, lachrymas, planctus, mala
Innumera patior: iſta debebam Deo.
Quid dabo marito? Nil, niſi ut moriar prior.
Vtcunque miſerum eſt, moriar Adami tamen
Conjunx, nec ullus nocte depulſâ dies
Viduam videbit Stare in ancipiti tuam
Marite cauſam diſce. non eſt tertium,
Aut vivis, aut occidis. An placuit ſcelus?

 Aliud

Aliud paratum eſt. Non veto. monſtro viam.
Non vivo ſine te: ſed mori mecum potes.
Vnum in duobus ſtatue: nîl ſine me facis.
Mori *volentem præeo, viventem ſequor.*
AD. *Iam parce conjunx, parce, parebo tibi,*
Parebo rurſus. Vincis affectus meos
Æquos, iniquos: ſola tu mentem domas.
Eat dolores hic quoque ad reliquos dolor,
Non interire. quid tibi, conjux, negem?
Iubente te vel juſſa contemnam Dei,
Iubente te vel ſuſtinebo vivere.
EV. *Quis ille ſtrepitus? audio ventos truces*
Latè furentes: audio murmur grave,
Quod gravia minitans aëre ex ſummo cadit.
Repentè longo terra mugitu fremens
Concuſſa cæcos egit ad cœlum ſonos,
R*etróque ceſſit: capitibus nutans* Nemus
Fragore vaſto tonuit: omnes arbores
Concuſſit horror, ſilváque erexit comam.
AD. *Pavet animus: horret corpus: inſedit meos*
Torpor per artus. frigidus ſanguis coit.
Vltor nefandi ſceleris, Edicti *memor,*
Vindexque ſpretæ legis adventat Deus.
Fugiamus illuc, quà frequentes arbores
Lucem recuſant: Abditi denſis comis
Lateamus: iterum criminis noſtri dolor,
Me ſtimulat: iterúmque erubeſco, & palleo,
Foliiſque tectus non ſatis videor mihi.

Aſpicio

Aſpicio nudum corpus: Heu! *quid cingula*
Frondoſa proſunt? Intus eſt, intus pudor.
Quæ pœna, Mulier, crimini par nos manet?
Moriemur ambo. Iam tuæ pereunt preces.

VOX DEI.

ADAMVS. EVA.

Iambici Trimetri, & Trochaici Tetrametri.

ADame, quas nunc te in latebras proripis?
Quæ te recondit umbra? cernentem omnia,
Præſentem ubique, cuncta cui rerum patent,
Huic deliteſcis? Ipſe te appello Deus,
Quem rapidus æther trepidat, & Tellus gravis
Iuſtæ potentem judicem ſententiæ.
Ego te creavi, te creatum maximis
Muneribus auxi. N*atus auſculta patri,*
Cliens patrono, nunc hero ſervus tuo.
Fugitive prodi. AD. *Pareo: audivi truces,*
Metuende rector, per nemus ſacrum ſonos;
Venti ſeverum murmur aptum gaudijs
Commovit hortum. membra concuſſit pavor,
Tremuique totus: illa majeſtas tui:
Inſueta vultus me fugavit territum.
Ingenuus iſtis, & verecundus pudor
Acceſſit: ecce nudus obſcœnos malè

Velatus

Velatus artus ad forum ſiſtor tuum.
Talem creâſti. VOX. *Nuditatis conſcius*
Per quem fuiſti? nullus in terris fuit
Qui te doceret. Sed pudor crimen ſequi
Solet, & malorum conſcio habitat pectore.
Fatere veram judici cauſſam tuo.
Defenſiones, ne tuum crimen gravent,
Omitte vanas. Nonne pomum ex arbore
Vetitâ comedere es auſus, & legem meam,
Pœnámque mortis ſpernere, infidum caput?
AD. *Mea culpa non eſt. Crimen hujus feminæ eſt,*
Quam mihi dediſti ſortis auxilium meæ,
Pellace quæ me voce, & exemplo ſuo
Cepit: comedi. VOX. *Conjugi conjux nocens*
Dic, cauſa tantæ quæ fuit dementiæ?
EV. *Serpens, Creator, dexterâ fictus tuâ*
Aſtu fefellit ſimplicem, atque inſons ego,
Quam ſexus ipſe perviam fecit dolis,
Seducta pomum gutturi admovi meo.
V. *Fraudibus nimis apte Serpens, quem creatrix dextera*
Vſui hominum deſtinârat, quos iniquè ſubdolè
Sceleris infandi miniſter perdidiſti machinâ,
Beſtijs inviſus alijs ibis, atque animantia
Cuncta fugies, & fugabis: virus horrendum vomes,
Triſte ſpirabis venenum mortis atræ nuntium,
Signa divinæ notanda præferens ſententiæ:
Præque jumentis, feriſque, pæna queîs inſtat gravis,
Pœna te gravior manebit: iſta per ſe inſontia

Sentient

Sentient luctus heriles: Fraude tu meritas tuâ
Semper ærumnas dolebis: útque te mentem duce
Hæc homo ad terrena flexit rebus à cœleſtibus,
Tu quoque in ſummâ natabis terrâ, & infixus ſolo
Ventre ſerpes, non rapaci ſubriges corpus pede.
Tanta victus comparandi difficultas te premet,
Vt tenebroſâ cavatæ conditus terræ ſpecu
Pulvere hibernas per horas pauperem pellas famem:
Dum tibi reciprocantem vita ducet ſpiritum:
Commodè nullus voracem paſcet eſuriem dies.
Tu ferox homicida Sathan, angue qui tectus latens
Perfidis effaſcinâſti feminam mendacijs,
Non vice hâc unâ rebellis, ſed priori crimine
Ætheris damnatus exul ultimas pœnas pati,
Iam malo crudeliori non reliquiſti locum.
Spes tamen te vana fallet: non enim voto tuo
Inferi Regis dominio mancipabo feminam,
Quæ licet mereatur illud, tu mereri non potes
Cujus infido eſt ſubactus ſequior ſexus dolo.
Lucis antiquæ favillam, quæ ſalutis prævia eſt,
Mente in humanâ fovebo, nec ſinam cinere obrui.
Bella, ſempiterna bella mulier, & tu perpetim
Mutuis odijs geretis: ipſe ſuccendam faces:
Ipſe cordi feminino, cujus una eſt indoles
Mente conceptum tenaci gravius odium proſequi,
Inſeram hoſtiles furores, & ſimultates dabo
Quas datas alat impotenter, nec ſinat frigeſcere.
Proferam certamen iſtud cuncta latè in ſæcula,

Illius proles ut armet ſe genus contra tuum,
Invicémque bella vexent poſterorum poſteros.
IPSE *veniet, ipſe carnem ſumet humanam Deus,*
Non viro genitus, ſed uno feminino ex ſemine,
Virginali natus alvo, generis humani Salus,
Qui Triumphator ſuperbum conteret tibi verticem,
Et feri victor veneni tempus utrunque opprimet.
Illius ductu piorum cætus armatâ manu
Spolia referet ſæpè opima, vímque ſuperabit tuam.
Non tibi tutò licebit Marte aperto cernere,
Non in os prodire contrà: ſemper averſos petes,
Auſus inflixiſſe tantum cæca calci vulnera.
Proditrix mulier mariti, quæ doloſis vocibus
Te nimis facilem dediſti, multa te expectant mala.
Mille te novi dolores mille cruciabunt modis,
Cúmque maternâ ſub alvo conditum fætum geres
Ægra languebis, nec ipſis imperabis ſenſibus
Paſſa varios appetitus ſana quos mens reſpuat,
Vſque dum te terminatis præſtitutis menſibus
Onere maturo levatam ſolvat immitis dolor.
Te manent uteri labores, te puerperium grave,
Téque ſobolis educandæ cura præſertim premit,
Quam reges licentioſâ mollis indulgentiâ:
Preſſáq. ærumnis ad unum miſera te vertes virum.
Ille erit tibi refugium, ſpéſque præſidium, & ſalus,
Ille, quem tu perdidiſti. ſubdita illius jugo
Iuſsibus parêre diſces, ille te imperio reget.
Cape tuas, Adame pœnas, quem ducem, non aſſeclam
Eſſe

Eſſe oportuërat maritæ, quiq́ue culpam feminæ
Præpedire debuiſti maſculâ prudentiâ,
Non inire perpetrati criminis conſortium,
Quiq́ue muliebri lepôri poſthabens legem meam
Vetita perſuaſus profanâ poma violaſti gulâ.
Terra propter te dolebit ſterilis, effœta, arida:
Sponte loliũ, ſpontę tribulos, ſponte progignet rubos,
Non niſi compulſa fruges. Inſativis fructibus
Fervidam paſces orexim. Panis ærumnis tibi
Plurimis conſtabit emptus: opere defeſſos gravi
Defluet ſudor per artus teſtis ægri corporis:
Solis & quoties per orbem lumen orietur novum
Multa perpeſſo renatus alter exſurget dolor,
Vſque dum lethalis hora reddat Adamum ſolo.
Nam ſuum ſeſe reſolvet corpus in primordium,
Cúmque ſis pulvis, neceſſe eſt te reverti in pulverem.
Poteram repente crimen infandum intuens
Vtrunque mortis impetu proſternere,
Animáſque veſtras procul ad infernos ſpecus
Deprimere poteram: prætuli clementiam
Iuris rigori, nec malis ſolatium
Tantis negavi, vos ſacro ſub fœdere
In ſpem ſalutis erigens: vitæ quoque
Proferre volui ſpatia, & humanum genus,
Quod omne veſtris inditum membris latet,
Servare: nomen indet uxori ſuæ
Adamus Evæ: prima nam mortalibus
Parens & altrix illa victuris erit,

Simileſque ſorte gignet. & formâ ſibi.
Sed ut pudori Conſulam veſtro ſimul,
Et ſanitati, corpori tegmen dabo,
Quod induatis, pinguis exuvias ovis,
Ne gravibus auris, atque cœli injuriâ
Superatus animæ fomes intereat calor.
AD. *O dura ſors! ô pœna peccati minax!*
O longa miſero vita, languenti gravis!
Ah quàm dolenda multa vivendo diu
Semper redibunt! quàm malum eſt tardè mori!
Quàm dura res cum miſeriis fieri ſenem!
Scelerate Sathan, gentis humanæ lues,
Quo nos tuliſti! quod nefas commiſimus!
Ex corde culpæ conſcio ſuſpiria
Mihi jam trahantur: triſtis hos vultus gravet
Imber, fluántque turbidis lachrymæ genis.
Nec flere ſatis eſt, nec licet: durus malis
Lacrymare neſcit oculus. ipſum non levi
Feriatur ictu pectus, & planctu ſonet,
Pronæque ab omni capite lacerentur comæ.
Heu jure quanti ſceleris actus ſum reus,
Meóque vidi crimine iratum Deum.
VOX. *Adamus ecce (qui prius ſperaverat*
Boni malique gnarus æqualis mihi
Futurus eſſe, ſimilis æterno Deo)
Nunc qualis aſtat? nunc quis in vultu eſt color?
Majora quærens priſtina amiſit bona.
Sed jam videndum eſt ne ſuâ carpens manu.

Vitale

Vitale pomum, Nemore ſub medio ſita
Quod peperit arbos, ſperet indictam ſibi
Effugere mortem, luce & æternâ frui.
Vos ergo Cherubi cœlites, mihi quos ego
Legi miniſtros, ite, & horto pellite
Par iſtud hominum: ſacra delicijs loca
Miſeri relinquant, alia Telluris ſola,
Glebáſque quærant, & parentem exerceant.
Vos ſtate in aditu nemoris, Ortivam ad plagam,
Et impedite flammeo verſatilis
Mucrone teli, ne quis infigat pedem.
EV. *Quis ſubitus ardor iſte, quæ lux emicat?*
Corripuit hortum flamma, & excelſæ arbores
Ardent ſine igne, fervidumque incendium
Trepidè vagatur, qualibus cœlum nitet
Illuſtre facibus: integrum flagrat nemus.
Hæc digna thalamis tæda prælucet meis:
Hominum propago patriam hâc diſcet notâ.
AD. *Fugiamus æſtus: iſta divinæ manus*
Sunt opera, quæ nos ire in exilium jubet.
O magne rector, ô gubernator Poli
Non jam reſiſto. volo, volo diſcedere:
Suffulta pigris membra ſed genibus labant,
Retróque, quoties gradior, abreptus feror.
Quò miſer abibo? quem locum profugus petam?
Vbi morabor, quámque tellurem excolam?
Monſtra latebram quæſo longinquam, abditam,
Vbi nulla ſigna priſtini reſtent boni,

Vbi nil in animum perditam Hedenem mihi,
Pomóſque revocet, cum meis mergar malis.
Nemus beatum, vérque perpetuum loci,
Felíxque regio, cujus heu fruſtrà mihi
Conceſſus uſus tempore interÿt brevi,
Arbórque vitæ, cujus effectu frui
Vetat altera arbor lurida peſtis parens,
Valete; túque quæ quatergemino alveo
Alluere tellus, dulcia Euphratis vada
Felicitatis conſcia, atqui animi mei
Quem ſæpe vobis cantico prompſi ſacro,
Et quicquid hortus iſte ſervavit boni
Nunquam videndum rurſus, æternum vale:
Hoc vos ſupremum tueor. En fugio, exeo:
Mortifera vitia, dira morborum lues,
Languor caducus, horridus febrium tremor,
Labor, dolórque, & cumulus inſtantis mali
Vos ite mecum triſtis exilij duces.

ΤΟΙΟΝΔ' ΑΠΕΒΗ ΤΟΔΕ
ΠΡΑΓΜΑ.

INDEX

quo præcipua quæque
aut Theologiam, aut Philoſophiam,
aut alias ſcientias
ſpectantia
adjecto paginæ numero monſtrantur.

A.

ἀδιακτα. 34.
Ægyptus. 39.
Æquinoctia. 22.
Æquitas rigori juris præferenda. 73.
Aëris tres regiones, 20. Earum deſcriptio, & contenta, Ibid.
Alveus Chiddequel qui Tigridi infunditur, 2, & Cauchas Aſſyrias tangit. 3.
Ama tanquã odio habiturus. 54.
Amor conjugalis, 25. 53. 54. 55. Præferẽdus amori parentũ. 54.
Angeli Dei miniſtri: 28. Eorum natura, ſive eſſentia, 16. lapſus. 10. 39. 43.
Animæ tres: vegetativa, (eã quæ habeãt. 14. 21, in quâ potentia generativa, 21. 73. nutritiva, ib augmẽtativa, ib,) ſenſitiva, (eã habent beſtiæ, creatæ, 24. cum vi concupiſcibili, & iraſcibili. 14) rationalis: 15, qualis ſit deſcribitur: 16. ea ἀπαθὴς, & immortalis: 42. Ei⁹ quatuor partes ordine Sathan oppugnat: τὸ λογικόν, 41. τὸ θυμικόν, 43. τὸ ἐπιθυμητικόν, 45. τὰ αἰσθητήρια, 46.
Appetitus ſequitur ſenſum. 47.
Arbor vitæ, 27. 38. 50. 76. ſcientiæ boni, & mali: 8. 27. edi vetita: ib. 38. 39. 41. ea violata. 49. 55. 63. 73.
Argumentum ex rebus creatis ad probandam virtutem divinã. 13. 14. 17. 27.
Aves. 24.
Axis. 22.

B.

Babylonia. 2. Vide Hedena.
Beſtiæ pœnæ humanæ participes. 64. 70. reliqua vide in animâ ſenſitivâ.
Bona ſunt omnia. 42.
Bonum omne κοινωνητικόν. 25.
Bruma. 22.

C

Capotes mons. 37.
Cappadocia. 37.
Cœlum conditum: eius deſcriptio: 17. ſolum habet motum τὴν φορὰν: ib. Empyreum immobile, ut volunt nonnulli. 11
Cherubi. 75.
κίττα mulierum prægnantiũ. 72.
Cometa in ſupremâ aëris regione. 20.
Conſcientia, 56. 59. ſine fide: 60. & ſeq. 68. cum fide. 74.

Creationis hiſtoria.17.& ſeq.
Crimē læſæ Majeſtatis Divinæ.49
Curioſitas periculoſa,44.46.
D.
Deliberatio.48.54.
Deſperatio.52.& ſeq.
DEVS deſcribitur ex attributis: omnipræſentiâ, æternitate, omnipotentiâ, &c.15. ex perſonis,Patre, Filio,Spiritu ſancto:15.& 16.ubiq. præſens:69. omnia ſciēs:45.miſericors:73. quomodo differat à rebus Metaphyſicis:16.quomodo ſe nôrit,& quomodo ab aliis noſcatur:16.cum ingēti ſono advenit.68.Eius providentia etiam erga beſtias.31,
Dies creatus.19.
Diluvium.59,
Donatio non revocatur ſine cauſa.43.
E.
Ea quæ ſunt redeunt ad primordium,25.73
Educatio liberorū matri incumbit.72.
Elementum Terræ, 18.28. in terram revertitur,73.Aquæ,18.28 Aëris, 18.17.Ignis:18. 19.27. 28.loca eorū,& diſpoſitio: 19. 20.21. eorundem uſus in plātis.21.
Eorū quæ ſūt quator ordines. 14.
Evæ nomen.73.
Euphrates: 3. 34. 37. 76. Diluit pinguedinem ſoli. 3.37.
Exilium Angelorum, quære Angelorum lapſum, & Sathânæ: Hominis.76.
F.
Fatum ex Stoicorū ſententiâ. 41.
Feminæ Creatio:5.25.26.Ingenii eius deſcriptio:9 71. Eius lapſus:49.Pœnæ impoſitæ in uteri geſtatione, partu, &cc: 72.Illa magiſtra peccati.67.68.70.
Fontes & eorum uſus.29.
Forma principium rerum alterum:18.Formæ ſimplices.9.
Fratricidium.58.
Fulmina.20.61.
G.
Ganges.34.
Grando.20.
Gravidarum mulierū morbi. 72.
H.
Harmonia Cœleſtis ſecundum Pythagoram.14.32.
Hedenis deſcriptio.2.37.76.
Hominis Creatio:4.25. Imperium ei tributum:4.6.26.40.Dei ad imaginem factus: 4. 14.25. Vide in anima rationali. Eius lapſus:55.62. Pœnæ ei indictæ ob lapſum.56.57.
Horti,qui in Hedene, deſcriptio. 3.38.
I.
Inane nuſquam.19.
India.59.
Inferni deſcriptio ex quorundam opinione.5.
Intellectiva vis.45.
Ira regi debet.9.33.
Iudicia non ſunt feſtinatè exſequēda.51.ſed præmiſſâ cognitione,exemplo.Dei.69,
L.
Labor.60.72.

Leo.2.35.
Liberum arbitrium in primo ſtatu.8.
Lucifer idem cum Heſpero. 11. 23.30.
Luna lumen à Sole fœneratur.22 30.
Lux ab igne.18.19.

M.

Malum non creatum.42.
Materia prima omnium rerũ duplex:una Cœli,& ſtellarum:17 21. altera τῶν ὑπουρανίων, ſive Chaos: 8. Ea appetit Formam optimam.42
Matrimonium à Deo inſtitutum, 26. Affert utriuſque fortunæ communionem.55.
Messias promittitur:72.Serpentem vincet:ib.Suos ab illo defendet:ib.Ex virgine naſcetur: ib. Hæc in Tragœdiâ prædicuntur in Iesv Domino noſtro completa.
Metaphyſicæ res ut Angeli, & Animæ quid differant à rebus Phyſicis,16.à Deo:16.17.eædẽ quomodo ſint in loco & tempore:ib. Earundem ſcientia,& voluntas.ib.
Meteora.19.20.32.
Michaël Archangelus.12.
Miſeria humana.56.57.58.& alibi ſæpè.
Monarchia tolerabilis, ubi non ex utili,ſed ex ratione adminiſtratur.40 43.52.
Morbi.57.60.72.
Mors,pœna peccati: 41.51.56.nõ optanda:65.Mortis deſcriptio παράδοξα,41.vera 75.
Motus naturales tres,à centro levium,ad centrum gravium 15 18.circa centrum Cœleſtium: 15.duplex.23.

N.

Narmalca.Piſcnon Moſi 2.
Narſares,Giedion Moſi.3.
Natura nîl facit fruſtrà: 42. Homini noverca.57.
Nebulæ.20.
Nilus amnis.38.
Nix.20.
Nubes.20.
Nox creata.19.

O.

Originis peccatum.57.58.
Ortus, & interitus.41.

P.

πάθη non ſunt Sapientis: 34. refrænanda.37.65.
Paradiſus,vide Hortum.
Partus dolores 72.
Peccata prima ex quibus lapſus, 7.9.
Perturbatio,59.78. Eius exemplum:48.51. Rationem ſuffocat:65 66. tempore compeſcitur.61.
Piſces.24.30.
Piſtris.30.
Planetæ. v. Animam vegetativã.
Planetarũ curſus,& ſedes. 23.37.
Pluviæ.20.
Pœnitentia, & eius fructus. 52. 74.
Poſteri ſequuntur conditionem parentem.49.50.57.74.
Præjudicia fugienda.51.
πρόνοια.41.

Primus Hominis ſtatus ſine peccato, ſine pudore, felix, ſecurus, ſine morbis, & malis: 5.27 38. in libero arbitrio, 8. 15. ut ex deliberatione liquet: 48, 54. Eius reliquiæ, 66.71.
Pudor, 56.59.69.
Q.
Quadrupedes, & feræ creatæ. 24.
R.
Religio Homini ſoli data: 15. Ei' parva ſcintilla reſidua. 71.
Ros, 20.
S.
Sathan quâ ſit eſſentiâ ſive naturâ, 3. Sapiens, 35. Hoſtis noſtri generis: 2.6.32.33.37.74. Icciro odio habendus: 34. & ſeq. Fuit olim Angelus bonus: 33. Feminam ſeducit: 41. & ſeq. Eius pœnæ: 6.12.43.71. Ei non credendum: 36. Sathan mundi dominus, 58.
Scientia eſt bonum animæ rationalis: 44. nulla mala. ib.
Se interimere utrum liceat, 64. & ſeq.
Semen mulieris. 72.
Senſus ad trahendum appetitum vel fugam: 47. Senſu præditarum rerum creatio: 24. vide Animam Senſitivã.
Senſum ſequi ducem. 47.48.
Serpens à Sathâne aſſumitur; 10, creat': 24. deſcribitur: 40. à Deo punitur ut inſtrumentum mali, 70. difficulter victum comparat, 71. per hyemem terrâ delitet, 71. &c. ib.
Servire Deo quid. 43.52.
Siderum materia, officia, effecta: 21. nomina nonnulla: 12. 22. vis eorum quæ in Signifero: 22. Τὰ ἀπλανῆ. 22.
Sol ignis receptaculum: 22. Oritur, occidit, 30.
Solſtitium, 22.
Somnus unde. 26.
Spectra. 60.
Sphæræ Cœleſtes octo; 22. Suprema. 12.
Status integritatis, vide primum ſtatum.
Stellæ cadentes vulgo: 20. De ſtellis vide Sidera.
Submerſio. 63.
Sudor. 60.73.
Suſiane: 2. Ferax Bdellij, Sardonychis, auri. ib.
T.
Taurus mons. 37.
Terra immota. 28.62.
Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς, 69.
Timor non cadit in fortē. 34.54.
Tonitrua, ubi, quando. 20.61.
Tranſlatio criminis. 70.
TRINITAS. 16.
Tygris fluvius. 3.34.39.
V.
Vapores, exhalationes. 20.
Venti unde, & ubi. 20.28.68.
Veſtium duplex uſus. 74.
Vir caput & tutor mulieris. 72.
Univerſum humanæ miſeriæ particeps. 55, 64.73.
Voluntas in crimine læſæ Majeſtatis punitur. 49.
Vorago terræ. 61.
Z.
Zodiacus, & quæ in eo ſigna. 22.

F I N I S.

321

SACRORVM
CARMINVM
CVMVLVS.

Hactenus, & ſatis eſt, ætas primæva profanis
Incubuit ſtudiis graviora negantibus annis.
Nunc meliora decet Sacris dare Carmina: Sacris
Quorũ amor aucturo pariter cũ tempore creſcet.

Primùm itaque Euangeliorum audiamus principia verſibus Heroicis expreſſa.

INITIVM EVANGELICÆ HISTORIÆ MATTHÆO SCRIPTORE

παραφραστικῶς.

Ille ego qui lucris manceps intentus iniquis
Publica collegi prius, & commiſſa notavi;
Nunc aliud vitæ ſector genus, altera cordi
Nũc ſcriptura mihi eſt, veteresq́. ab origine lõgâ

MEſſichæ proavos, formidatámque Tyranno
Tartarino ſubolem memori committere chartæ
Ordior, ut pateat venturis cognita ſæclis
Tot Vatum miranda fides. Nam carmine priſco
Hunc ſibi ſceptrigerum Regem, authorémque ſalutis
Hebraidûm populus promitti ſæpius audit.
Huic Deus ipſe pater divinum nomen IESV.
Legato Gabriele dedit, juſſitque ſuperbo
Conculcare caput plantâ victrice draconi.
Hunc fore Davidis Regali è ſtirpe nepotem
Pollicitus, ſolio qui ſe relocaret avito
Iudæi rector populi, quique ordine certo
Abrami repetens ſanctum genus, adderet omnes
Imperio terras, & habet quot littus arenas,
Perpetuâ totidem gentes ditione teneret.
Nam pater Abrâmus Cananæis hoſpes in oris
Vnigenam natum effoetâ genuiſſe ſenectâ
Proditur, ex riſus materni nomine dictum.
Fœderis hic ſignum bis quartâ luce retectâ
Glande dedit, qui progeniem mos ivit in omnem.

Is patre

Is patre ſacrifico ferventem ductus ad aram
Victima (ſed cædem vetuit qui juſſerat idem)
Fatidicâ CHRISTVM *potuit monſtrare figurâ.*
Iſacus hic Iacobum genuit, majórque minórque
Eſavo qui fratre fuit. biſſena parentem
Fecit eum ſuboles, in quâ memoratur Iudas
Imperiis fatale genus. nam ſemine cretos
Illius occumbens cecinit pater, omne per ævum
Regia geſturos diademata, donec adeſſet
Spes orbi, populiſque Salus. Nurus improba Iudam
Proſtibuli Thamyre ſpeciem mentita fefellit
Suffurata genus geminum Zarámque, Pharémque:
Eſdromo fuit iſte parens: Esdromus Aramo:
Traditur Aminadabs illo genitore creatus
Naſſonem genuiſſe ducem, quem Salmo ſecutus
Protulit Ephratiâ præſtantem in gente Boazum.
Ille Mahallonis conſanguinitate propinqui
Extorrem viduam duxit Moabitida Ruthen.
His ſatus Obedes Ieſſæum lucis in oras
Prodidit, urbs quo ſe Bethlemia jactat alumno.
Naſcitur hinc Goliæ victor, qui ad Sceptra vocatus
Vile pedum poſuit: Domino gratiſſimus unus
Qui fuit in Solymis, & ſervantiſſimus æqui:
Si non caſta priùs viciſſet lumina pulchræ
Bathſabeæ ſpecies, carè nimis empta mariti
Sanguine. Sic ſatus eſt inconceſſis Hymenæis
Rex Solomon omni ſapientum maximus ævo.
Snceſſor patris Roboas crudelibus uſus

Conſiliis ſextâ vix regni parte potitur.
Inde Abias non patre minùs virtutis avitæ
Degener, hæredis ſceptrum ſibi jure capeſſit.
Quem ſequitur melior binis genitoribus Aſas,
Relligionis amans, & templo providus Aſas.
Sed nec Iöſaphatum pietas Aſæa reliquit,
Nec Deus. Hic armis Iudæas muniit urbes,
Et largis opibus cives, & honoribus auxit,
Finitimis terror populis. ſuccedit Iöras
Impius, & tingit fraterno ſanguine dextram,
Indignuſque rogo moritur. námque ilia vindex
Vrebat divina manus, pœnaſque petebat.
Nec melior, cùm par meritis foret ipſe parenti,
Ahaſiæ fortuna fuit, Syrióque ſub enſe
Amiſit, quam dignus erat nec cernere vitam.
Scilicèt ærumna hæc CHRISTI *venientis in orbem*
Prima fuit, tali debere propagine naſci.
Cùm gens deficeret patrio Solomontia regno
Nathaniæ ſtirpis ſucceſſit tertius hæres
Iuſtus Ioäthamas, primus qui contudit acres
Ammoniæ gentis faſtus. ſed filius Achas
Turgidus Aſſyrio nequicquam fœdere ſenſit
Irato mala mille Deo. generatus ab Achâ
Ezechias ritus Solymis, & ſacra reduxit.
Filius Ezechiæ vinctus Babylone Manaſſes
Divinos redit ad cultus, natumque Manaſſæ
Conjurata manus meritum iugulavit Amonem.
Ioſia Amoniades conſcripti à Moſe repertor

Dogmatis,illius fixit veſtigia ductu.
Icchonias hujuſce nepos Babylonia ſenſit
Vincula,captivóſque abduci compede fratres
Conſpexit,patriæque urbis ferale ſepulchrum.
Zalathielus ab hoc,& Zorobabelus ab iſto eſt,
Qui poſtliminio Chaldæis ſoſpes ab oris
Hebræas vacuis implevit ovilibus aras,
Abjudis,Reſæque parens,avus Elliacimi.
Azori hic genitor fuit,Azorusque Zadoci:
Natus Achimus eo eſt:patrem hunc Eliude vocabat
Ipſe Eleazari genitor,qui ſanguinis author
Per Matthana fuit Iacobo: patre proſatus illo
Ioſephus,Mariam communi ſanguine cretam,
Vt lex priſca jubet Moſi conſcripta tabellis,
Conjugii auſpiciis duxit,propriámque dicavit,
Et ſacra conceptis pepigit ſponſalia verbis.
Hæc Maria eſt CHRISTI *caſtiſsima mater* Ieſu,
Quæ puerum peperit divini ex Numinis aurâ
Menſibus exactis jacturam haud paſſa pudoris.
Quæ bene ſi repetas,generis tres eſſe videbis
Perſonis paribus ſeries.námque ordine primo
A patre Thariade David bis ſeptimus exit.
Rurſus & hunc inter Chaldæáque vincula ſtirpes
Invenies totidem. promiſſum quærere pergas
Longius ad CHRISTVM,*numerum ſpectabis eundem.*

INITIVM EVANGELICÆ HISTORIÆ
SCRIPTORE MARCO
παραφραστικῶς.

Fauſtus

FAuſtus ab excelſo nobis deſcendit Olympo
Nuntius, & Pacis rumor bonus attigit aures.
Certa fero certis authoribus: hactenus Orco
Claudimur, & toto vincti retinemur Averno.
Vltima promiſsi vênit jam temporis ætas:
Libertas ſtetit ante fores, divináque tandem
Gratia per Chriſtum nobis offertur Ieſum:
Huic pater affudit ſacrati inſignia regni
Vnguentum capiti, & cœleſtem aſlavit honorem.
Téque adeò decus hoc ævi veniente paratur
Zacharide, & felix ſeclorum naſcitur ordo.
De te priſca canunt ſacrorum carmina vatum
Malachiæ, Eſaiæque Deo dictata magiſtro:
Ecce meus præcurſor adeſt me miſſus ab ipſo,
Qui ſecura tui præeat veſtigia greſſus,
Quíque paret calles, & iter venientis adornet,
Adventumq́ue tuum terreſtri nuntiet orbi:
Vox ſonat inclamans inter deſerta locorum,
Sternite iter Regi, pateátque æquata cylindris
Semita, quæ dominum rectà deducat euntem,
Ne via Regales ſaxis ſecet aſpera plantas.
Hæc reſonant montes, reſpondéntque omnia ſilvæ.
Iohannes huic nomen erat, qui munera ſacræ
Exercebat aquæ, & populum Iordane lavabat,
Silveſtres ubi ſponte caſas, ſaltusq́ue colebat
Exul, & urbanæ fugiens contagia culpæ
Exemplo, vitæ, populos & voce monebat
Sectari melioris iter, commiſſaque faſſos

Crimina ſupplicibus veniam depoſcere votis.
Omnis enim vatem Solymûm mirata juventus,
Totáque viſendi ſtudio Iudæa petebat,
Quique Palæſtinos fines, quique arva tenebant
Proxima Samariæ, quique Hierichuntis alumni
Conſita rugoſis habitabant mœnia palmis:
Huc omnes venere Syri, culpámque fatentes
Amne lavabantur qui flumine lapſus amœno
Petræis Arabum Syriam diſtinguit ab oris.
Ille camelorum exuvijs circundatus ibat,
Gibboſæque feræ pellebat frigora tergo
Succinctus lumbos corio: nec victus amictu
Carior: eſuriem tenui pepuliſſe locuſtâ
Contentus (cibus ille Syros Parthóſque tenebat)
Mella feris apibus per ſilvam excuſa legebat,
Talia ſuſpenſæ recitans oracula genti:
Me ſequitur prægreſſa legens veſtigia, qui me
Eſt prior, & Diâ potior virtute futurus,
Indignuſque ego ſum ſolvam qui cernuus illi
Infima quæ ſacras cohibent obſtragula plantas,
Flamine purgabit qui vos, ego flumine tantùm.

INITIVM EVANGELICÆ HISTORIÆ
SCRIPTORE LVCA
παραφραςικῶς.

INgredimur ſanctum per iter, quà ſemita multo
Trita patet pede, ſed nullo contenta priorum.
Nam multi res Chriſte tuas tuáque inclita geſta,
Quorum certa fides noſtro ſub pectore ſedit,

Scriptores

Scriptores voluere ſuis mandare libellis:
Multos incaſſum luſit labor, & pia vota
Succeſſu caruere ſuo: tua facta canenti,
Tu mihi, Sancte, fave, tuáque hanc divina per æquor
Aura ratim vehat, ut tanto ne pondere preſſa
Sorbeat æquoreos fluctus, rimiſque fatiſcat.
Ætherei ſobolem patris, & miracula centum
Teſtibus à fidis toties recitata recordor.
Qui videre diu, primâque ab origine cuncta
Luminibus luſtrâre ſuis, quos ipſe miniſtros
Elegit Verbi Dominus, gentéſque per omnes
Humanas implere ſacris ſermonibus aures
Juſsit, & integro myſteria prodere Mundo,
Authores, teſtéſque habeo: non cognita inani
Per vulgum rumore canam, Famâque ſiniſtrâ:
Plenus adhuc ipſis eſt ſpectatoribus orbis,
Et vivunt falſi quos nulla redarguet ætas
Quos oculi docuere, hi nos docuere viciſsim.
Me quoque divinus concuſsi pectoris æſtus
Concitat hæc eadem, didici quæ maxima, certâ
Complexum rerum ſerie, repetitáque ab ipſo
Zachariâ, ad finem diſtinctiùs ordine longo
Ducere, ne turbet moles confuſa legentes,
Et duraturis res obſignare tabellis.
Hæc tibi ſcribuntur, quem nobilitatis origo,
Impoſitumque humeris venerabile munus honorant
Theuphile, grate Deo: nam te petit aſſertorem
Pagina, divinis quem non mortalia curis

Commoda

Commoda,non potuit metus avertiſſe malorum.
Accipe,quæ nondum ad cœtus,& ſacra recepto
Cùm purgatrices ambires criminis undas
Voce tibi,& vivis fuerant recitata loquelis:
Hæc tu firmato nunc robore clarius ipſa
Et ſcriptis contenta leges,& ſingula diſces.

INITIVM EVANGELICÆ HISTORIÆ
SCRIPTORE IOHANNE
παραφραστικῶς.

PRincipio rerum,cùm nec natura citato
Sideribus pictum referebat turbine Cœlum,
Nec Tellus,nec Pontus erat,nec quicquid ubique
Cernimus artificis teſtatum munera dextræ,
Iam tum Dîa fuit Ratio, Sapientia patris,
Internus Sermo,Verbum à Genitore profectum,
Par ſummo,junctúmque Deo. Non illud ab ipſo
Numine diſcretum diſceſſit origine Mundi,
Sed penes æternum manſitque manétque parentem.
Ipſe Deus fuit hoc Verbum, Deus unus & idem,
Quem Patrem, Flaménque ſacrum,Natúmque vocamus,
Nec Pater eſt Natus,ſed ſunt Deus ambo ſed unus.
Sic quoque ſi parvis componere magna licebit,
Finitis quæ fine carent,æternáque natis,
Vna Anima eſt hominum:Mens eſt vice Fontis in illâ:
Hinc Intellectus ſecreto naſcitur ortu:
Rurſus & ex ipſâ procedit Mente voluntas.
Quippe QVOD EST DEVS EST, *Cauſa eſt,Verúmq́;Bonúmq́;*

Hæc tria ſunt, DEVS *eſt unum,* DEVS *omnia ſolus.*

Quicquid ubique vides divina potentia fecit
Sermonis virtute ſui. Nam dextra Parentis
Primum informe Chaos confuſi condidit Orbis.
Iámque erat hoc, nec erat. nam cum nihil eſſet in illo
Omnia erant, poterántque ex uno cuncta creari.
Omnigenas Mundi ſpecies, rerúmque figuras
Concluſas in ſe Ratio divina tenebat.
Hinc Deus exemplar molis, formamque futuræ
Prompſerat, útque notas omnes in imagine ceræ
Cernimus expreſſas ſignaclum reddere primum,
Mentiríque typos: ſic ingens Mundus imago
Primigenæ Rationis erat, Verbíque Paterni.
Nam princeps quodcunque Dei Sapientia pulchrum
Cenſuit, hoc ſancto ſermonis numine factum eſt.
Illius imperio quæ facta fuêre, probavit
Illius arbitrium, quo nunc quoque cuncta reguntur:
Vnde Animam Mundi veteres dixère Magiſtri.
Hâc ſine nîl factum eſt, factum quodcunque videmus,
Æternúſque opifex perfecit cuncta per illam:
Ipſáque vita fuit divini in numine Verbi,
Et nunquam peritura ſalus, Mors unica Mortis.
Vita fuit Lux illa viris, Sol totius Orbis
Qui pepulit denſam mortali è pectore noctem:
Fax hominum, ſacrúmque jubar, divináque lampas
Ætheriusque ignis, penitus qui humana reſolvit
Frigora: at in mediis Lux ſplenduit iſta tenebris.
Intereà multi quos Nox manifeſta tenebat

Obſeſſos

Obſeſſos diris nebulis, comprendere tantam
Non potuere diem, radios licet illa per orbem
Spargeret, & quotquot Telluris munera carpunt
Luſtraret face: pars lucis tam magna peribat:
Illa quidem fuit in Mundo, Mundusque per illam
Factus erat, tamen hunc cui ſe debebat, & in ſe
Omnia, non potuit demens cognoſcere Mundus.
In ſua nam vênit: ſed tanquam aliena petentem
Hoſpitio fraudâre ſui, cæcoque furore
Præſentem dominum proprij ſprevêre miniſtri.
Quid facitis miſeri? quæ vos dementia verſat?
Non novus hic veſtris ſucceſſit ſedibus hoſpes:
Ipſe herus eſt, qui jure ſuo ſibi debita poſcit:
At vos extorrem & peregrini more fugatum
Pellitis è tectis. ô terque quaterque beati,
Queis ſanctæ melior menti ſententia ſedit,
Amplecti dominum, magnúmque agnoſcere Regem.
His dabitur Cœleſtis honos, genitoris amica
Pignora ſupremi, ſobolémque audire Tonantis.
Scilicet ipſe Dei naturâ filius omnes
A patre, quos fidos ſibi comperit eſſe clientes,
Curat adoptari, nóſque ad communia Cœli
Regna vocans, fratréſque cohæredéſque ſalutat:
Quos non femineus ſanguis, non inſita matri
Maſcula vis genuit, non mixti corpore ſexus,
Mortaliſque amor, & fœtus ſtudioſa voluptas:
Sed Deus arcano Ter Maximus edidit ortu,
Delegitque ſibi patriâ pietate fovendos.

Illa Dei Ratio patris, & Sapientia carnem
Induit, humanâ nobis ſpectanda figurâ,
Corporeóſque artus ac membra ſimillima noſtris
Sumpſit, & ex patrio in terras deſcendit Olympo,
Vt fieret perfectus homo: nam fœdere ſacro
Mortalem ſpeciem ſibi vis Divina ligabat.
Vidimus hunc ipſi: populo cùm miſtus Hebræo
Viveret, & noſtras præſens inviſeret urbes.
Vidimus excelſum decus, & cœleſtis honorem
Luminis: haud adeo nos gloria tanta fefellit
O qualis quantuſque fuit! Miracula centum
Eſſe genus docuere Dei: ſic ora ferebat,
Sic nunquam ex illo Majeſtas vera receſſit,
Gratiáque, & ſincera fides, & vivida virtus,
Vnigenam ætherij natum teſtata parentis.
Hujus inexpletas in nos manus amne perenni
Prodiga fudit opes, totóſque excuſſit acervos:
Hujus & æternùm nullâ mercede redemta
Gratia nos geminâ gratis complectitur ulnâ:
Durat perpetuum bonitas, ſempérque favorem
Succedens alter pellit favor: útque tabellis
Lex geminis conſcripta fuit data Moſe miniſtro,
Lex hominum accuſans diſtricto examine mores,
Gratia ſic nobis per Chriſtum venit Ieſum,
Authorem vitæ (neque enim ſententia fallit)
Ductorémque viæ nobis, Veríque Magiſtrum.
Námque Deum nemo mortali lumine vidit
Qui nos, quæ ſit ei Mens vel Natura, doceret:

Vnica

Vnica ſed gremio ſoboles aſſueta paterno
Expoſuit ſermone Deum, docuítque tametſi
Humano ingenio Naturæ vincere leges.

SEQVVNTVR HYMNI EVANGELICI EX LVCA.

HYMNVS ZACHARIÆ LVCÆ CAP. I. COMM. LVIII & ſequentibus.

MAgni Fatidici Fatidicus pater
Intermiſſa novem munera menſibus
Linguæ Zacharias expediit, Deo
Donante, ut caneret ſacra
Gentis fata: Bonus nos Iacobi Deus
Aſpexit placido lumine: laudibus
Tollamus Dominum, qui redimit ſuos
Orci è faucibus aſſeclas.
Iam jam miſſus adeſt ille Salutifer,
Qui fert plena ſacrâ cornua copiâ,
Davidis famuli ſtemmate quem ſui
Progigni voluit Deus.
Hoc antiqua etiam carmina conſonant
Inſpirata bono numine, temporum
Tantorum ſerie, veridicum quibus
Os, linguámque reſolverat
Fatorum dominus, ſemper ab hoſtium
Nos ſervare ferâ pollicitus manu,

Tutoſque

Tutóſque auxilio reddere ab impijs
Noſtri quos odium tenet.
Confirmata ſacro gratia fœdere,
Quæ noſtris fuerat pacta parentibus,
Augetur minui neſciæ:perpetim
Perdurat bonitas memor:
Nec quod Thariadæ pollicitus patri
Iurârat,levibus ferre dedit Notis
Rector juris amans:ſcilicet hoſtium
Ereptos fore dexteris,
Vt nos inde Deo vindice liberos
Virtus juſtitiæ,puráque ſanctitas
Vitæ perpetuo tempore vindici
Sacraret famulos Deo.
Et tu parve mihi nate,puerperæ
Qui pendes gemino matris ab ubere,
Cœleſtis Domini tempore poſtero
Vates prævius audies.
Tu præcurſor hero proſpicies viam,
Tu dices populum quæ maneat Salus,
Tu primus veniæ criminibus datæ
Noſtris indicium feres,
Divinæq́ue canes munera gratiæ
Ad nos quæ ſuperis defluit ex locis,
Et cæci tenebris carceris obſitos
Illuſtrat ſubitâ face,
(Vt Solis ſpecies nubila diſcutit
Ortus luce ſui) quæque Acheruſiâ

Nos

Nos ex valle refert, ducit & avios
Securum per iter pedes.

HYMNVS MARIÆ
LVCÆ CAP. I.
Comm. xlvi. & ſequentibus.

INtima concuſſis ſaliunt præcordia venis,
Et magnum celebrat mens mihi grata Deum.
Spiritus allatæ concepit ſancta Salutis
Gaudia, divinâ gaudia facta manu.
Ecce humili poſitam placido me lumine clemens
Ætheriâ Dominus vidit ab arce loco.
Omnibus ecce meum nomen celebrabitur oris,
Quóque oritur Titan littore, quóque cadit.
Cantabunt poſthac venientia ſæcla beatam,
Summáque felicem me ſuper aſtra ferent.
In me mirificæ ſit quanta potentia dextræ
Gratia Cœleſtis teſtificatur heri.
Nomen ei ſanctum eſt, nulli violabile linguæ,
Cujus ad auditum Terra ſalumque tremunt.
Illius hæredem ſobolem pietatis avitæ
Continuus nullo tempore linquit amor.
Ille domat faſtus, & corda tumentia flagris
Exagitat: tantum brachia robur habent.
Nunc etiam Dominos Regali è ſede potentes
Dejcit, & preſſos ſidera ad ipſa vehit.
Indonata domum locupletum turba redivit,
Impleruntque inopes munera ſacra ſinus.

Quos

Quos gravis eſuries veri vexabat & æqui
His pater ætherias porrigit ipſe dapes.
Nempe Deus Iacobi meminit, quem ſemper amavit,
Iſacidæ oblitus nec fuit ille ſui.
Hæret adhuc animo clementia fixa tenaci,
Quam noſtris veteri fœdere ſanxit avis,
Abramo, natiſque, & qui naſcentur ab illis,
Dum lux & tenebræ, menſis & annus erunt.

HYMNVS SYMEONIS
apud Lucam Cap. II.
Comm. xxix. & ſequentibus.

IAm miſſionem das mihi militi,
Solviſque ſacram polliciti fidem:
Iam tempus eſt, ut me, Imperator,
Emeritum ſtatione ſolvas.
Nam nunc quid optem vivere longiùs,
Orbis redemptor quando oculis fuit
Conſpectus iſtis, quem ſaluti,
Magne parens, hominum dediſti?
Hoc nempe ſolum gentibus omnibus
Signum locaſti, lumina quo ſimul
Acuta colliment, & ora
Singula reſpiciant ad unum.
Hoc nationes lumen Olympicum
Illuſtrat omnes, quas oriens videt,
Phœbeus & quas ſpectat orbis
Occiduas ſubiturus undas.

Hæc

Hæc Iſraëli gloria naſcitur,
Hæc Abrahami gloria poſteris,
Præ cæteris quem tu ſacratum
Rite tibi populum dicaſti.

SEQVITVR EPIGRAMMA DE VERA FELICITATE EX MATTHÆO CAP V. COMM. XII. ET LVCA CAP. VI. COMM. XX.

PHALEVCIIS.

Vitam quæ faciunt beatiorem,
Non ſunt quæ rude vulgus expetiſcit,
Riſus, divitiæ, dapes, honores.
Verum hæc, quæ fugiuntur, & fugantur:
Luctus, probra, fames, inopſque egeſtas.
Felices meritò volo vocari,
Quos ſimplex vetat intumere faſtu
Mentis pauperies, quibuſque ſcire
Nil ſe ſcire datum eſt: ſibi iſta poſcit
Cœtus pectora ſola Chriſtianus,
Et ſors æthery beata regni.
Felices quibus ægrimoniarum
Oppreſſos cumulus perurit artus:
Nam ſolatia digna conſequentur.
Felices, quibus exulat malignus
Irarum furor, & vacat procellis

Tutum perpetuâ quiete pectus:
His præſens placidâ beare vitâ
Terrarum Deus arva pollicetur.
Felices quibus eſt fames ſitiſque,
Veræ Iuſtitiæ fames ſitiſque
Quos omni ſatias ſequetur ævo.
Felices quoque prona queîs in omnes
Eſt clementia: ſentient & ipſi
Clementem vice mutuâ favorem.
Felices etiam quibus doloſo
Cor fuco vacat: hi Deum videbunt:
Felices quoque pacis eſſe quotquot
Authores cupiunt: Eos benigni
Non falſo ſobolem Dei vocâris.
Felices quoque juſta quos ſequentes.
Injuſti ſine jure perſequuntur:
Hos Rex cœlicus eligit miniſtros.
Felices neque vos negârit ullus,
Cùm genus impia vos probris laceſſet,
Vrgebitque malis, meâque cauſâ
Mendaces temerè ingeret loquelas.
Hæc ſunt gaudia vera, non dolores,
In cœlo quibus eſt parata merces:
Hæc ſunt, teſtibus omnibus Prophetis,
Quos exercuit æqua ſors malorum,
Vitam quæ faciunt beatiorem.

SEQVVNTVR DECLAMATIONES DVÆ EX LIBRO SECVNDO SACRÆ HISTORIÆ DIVI LVCÆ.

EX CAP. VII.

Stephani declamatio TRIMETRIS.

AVdite fratres quotquot, & quotquot patres
Aſtatis iſti, aut aſſidetis cœtui.
Deus ille magnæ lucem amictus gloriæ
Patri Abrahamo ſe videndum præbuit.
Necdum Charana preſſerat pedibus ſola;
Sed adhuc profanæ terminos Babyloniæ
Incola tenebat, interamnibus in locis,
Quos Tygris & quos tumidus Euphratês rigant:
Deus ille dixit: profugus hinc ex finibus
Excede patriis, linque cognatum genus,
Vt regna ſubitò, quæ tibi oſtendam, petas.
Poſſeſſiones deſerens Chaldaïcas
Tunc Abrahamus in Charanâ collocat
Tellure ſedes: inde rurſus mortuo
Migrare patre juſſus, huc vênit loci,
Præſente quem vos poſteri colitis die.
Nec interim illi tantulum dederat Deus
Vt in ſuo unam figeret plantam ſolo,
Quod jure proprio poſſet hæredes ſequi.
Tamen, & carenti liberis, juraverat
Regionis eius omne latifundium
Ipſi daturus, ipſiusque nepotibus.
Addiderat eius poſteros etiam exules
Diu futuros ſub peregrino jugo,
Et ſervitutis multa paſſuros mala,

Dum viſa tardis ſæpe curriculis trahi
Phœbea quartum conderet ſæclum rota,
Trucibusque dominis ſe futurum judicem.
Deinde eoſdem Barbaro eductos ſolo
Sibi mancipandos, inque priſcâ patriâ
Perenne ſacris deſtinandos ritibus.
Dederátque ſacram fœderis puri notam
Recutita membra. At ille genuit Iſacum,
Genitúmque circumcidit octavâ die.
Iſacus eandem rurſus in Iacobo ſuo
Servare legem didicit, & Iacobus quoque
Biſſex parentum conjuge ex variâ parens.
Ioſephus ab ijs (tantáne in fratres cadit
Invidia!) Arabicis venditus mangonibus
Invitus ivit procul ad Ægypti plagam,
Præſente mirùm ſemper afflatus Deo.
Qui liberatum carceris ſqualloribus,
Et non inani præditum Sapientiâ,
Tanta beâvit gratiâ, ut Niloticæ
Dominator Aulæ Pharao regni commodis
Domeſticiſque rebus hunc præfecerit.
Mox dira ſterilem vexat Ægyptum fames,
Negante Nilo juſta ſegeti fœnera.
Eadem propinquos damna Cananæos premunt.
Sed fortè Iacobi ſenis ad aures venerat
Ватereſſe Phariis horreis comparcitas.
Farrum reliquias: miſit empturos penum
Noſtros parentes in Pharum, quibus alterùm

Redire

Redire juſſis, prodidit ſe, qui foret,
Ioſephus iſto collocatus culmine,
Stupidoſque fratres traxit in miraculum.
Rex ipſe lætus Pharao Ioſephi genus
Audivit. ille jam gravem ſenio patrem
Ad ſe vocavit, & patris totam domum,
Quæ capita quinque ſeptiéſque habuit decem.
Sic Iacobus hoſpes gratus Ægypti in ſolo
Vitam reliquit, poſtque Iacobum filii
Iuſſi parentem Lege naturæ ſequi.
Inania horum tecta patriis corpora
Iacent ſepulchris: pars ſub antro duplici
Pro quo Abrahamus pondus argenti dedit;
Tellure reliqua pars ſub iſtâ conditur
A Sichæmeo quæ pofecta eſt Emmore.
Vbi tempus illud, quod Deus prædixerat,
Adduxit ævi non queſcens orbita,
Fæcunditate gens in immenſum ſuâ
Hebræa crevit: jámque ſuperârat fidem
Numerus, tenente ſceptra, non cuius diu
Benignus iſtum texerat populum favor,
Sed altero Pharaone, Ioſepho ſuper
Cui nulla mente cura memori ſederat.
Is iniquus, atrox, perfidis uſus dolis
Evellere omne ſtatuit Iſacidûm genus.
Cum fæminarum nempe fertilitas foret
Suſpecta Pharijs rebus, & virtus virûm,
Ipſos coëgit lege, ſexus maſcali

Vt vagientes liberos exponerent,
Subitoque natis lutis eriperent moram,
Ne quis periclo naſceretur regio.
Tempus ſub illud naſcitur gratus Deo
Puer Amramæus; iſte trinis menſibus
Eductus intra parietes patriæ domus,
Vrgente capitis ultimo diſcrimine
Expoſitus amni creditur, qui mitior
Longè Tyranno ſoſpitem in ripam vehit:
Vbi repertum nata Regis peſſimi
Aufert, adoptat, nutrit, & Magicas jubet
Haurire cupido diſciplinas pectore:
Vt ipſa Memphis artibus Memphiticis
Dignè periret. Sic potens ſapientiâ
Moſes, & oris extitit facundiâ.
Cui cum per octo luſtra variè exercita
Crevisſet ætas, venit in mentem genus
Viſum Iſraëlis ire, populares ſuos.
Quos quòd ſubactos dura ſervitii juga
Pati videret, doluit, ac injuriâ
Cum contribulem forte fortunâ premi
Aſpiceret, ipſi vindicem ſeſe dedit,
Ægyptiumque dura molitum mala
Demiſit Orco, partibus functus ſuis,
Tanquam futuri muneris præludio.
Putabat iſto poſſe cognatum genus
Facto doceri, ſe fore hunc, cuius dator
Salutis ipſos liberaret dexterâ,

Sed rei

Sed res habebat iſta ſe in contrarium,
Nam cum ſequenti fortè pugnantes die
Duos videret, voluit in concordiam
Reducere ambos: Res iniqua eſt, inquiens,
Vos contribules invicem eſſe injurios.
Tunc ille, monitis cùm laceſſens alterum
Parere nollet: Te quis, inquit, Principem
Lectúmve cauſis judicem noſtris dedit,
An ego ſecunda ſum futurus victima,
Ægytiumque, quem trucidabas heri,
Secutus, ibo Stygia viſurus loca?
Hæc verba Moſem compulere in Arabiam
Abire profugum. filios binos ubi
E matre genuit Raguelide Sephorâ.
Decenniiſque rurſus actis quattuor,
Horebus ubi mons arduum tollit jugum,
Apparet illi nuntius magni patris
Innocuus ignis horridam lambens rubum.
Miratus ille, dum vagum ſequitur pecus,
Rem propius omnem contuendam cenſuit.
Ibi vox ab alto numinis ſancti ſonat.
Ego ſum tuorum Dominus adjutor patrum:
Deus, Abrahami ſcilicet, Deus Iſaci,
Deusque Iacobi. Moſis immenſus tremor
Invaſit artus, totus obriguit metu,
Non auſus ire propius ad ſpectaculum.
Repente rurſum verba percepit nova.
Niſi profano calceo ſolvas pedem

Nefas ſacratis te locis inſiſtere eſt.
Ille ego miſeriam gentis aſpexi meæ
Ægyptiorum ſubjugis: ſuſpiria
Gemitúsque ad aures ſæpe venerunt meas.
Nunc ecce populum liberaturus malis
Venio benignâ facilis indulgentiâ.
Eius miniſtrum jubeo te miraculi
Repetere, rapidus quæ rigat Nilus, ſola.
Sic illum eundem, quem negârat principem
Sibi futurum pervicax hominum genus,
Deus ipſe Hebræis Imperatorem dedit,
Ducémque, flammâ vepris internunciâ,
Idémque vindex genti & aſſertor fuit,
Semper recenti cognitus miraculo
Dei miniſter, nunc in Ægypti plagâ,
Et regis aulâ, nunc Erythræo in mari,
Nunc ſterilis inter varia deſerti loca
Quinquenniorum bis quaternorum morâ.
Hic ille Moſes Iſraëlis poſteris
Qui tale quondam vaticinium protulit:
Deus excitabit alterum ſimilem mihi
Vobis Prophetam, ſtirpe veſtrâ proſatum,
Hunc audietis obſequentes juſsibus.
Hic ille Moſes qui virûm noſtratium
Frequente concione Sinæum jugum
Aſcendere unus potuit è tot millibus,
Cum quo miniſtra vox Dei voluit loqui,
Mox ipſe noſtris quæ referret patribus.

Huic Dominus idem viva dedit oracula
Nobis daturo. nec tamen tanto duci
Dicto audientem noſtra gens ſe præbuit.
Ingrata ſed enim corde refractario
Conſilia capiens de reviſendâ Pharo,
Pro ſervitute vota fecit priſtinâ.
Sed & Aaronem, faceret ut Divos viæ
Duces, rogavit, quippe Moſe quid foret
Factum negabat poſſe ſe reſciſcere:
Tantùm putare cuius auſpiciis fugæ
Seſe dediſſent, nunc ab illo deſeri.
Ita contributo juſſit aurì pondere
Fieri juvencum, pecoris & muti colens
Mutam figuram, ſtruxit aram, victimas
Dedit, peregit ſacra, libavit merum,
Feſtum diem celebravit, occinuit modos,
Egit choreas, & labores impio
Manuum ſuarum comprobavit gaudio.
Avertit animum gente ab ingratâ Deus,
Se derelicto ſiderum cœleſtium
Choros colente, ſicut & Vatum ſacris
Hæc verba læſum Numen inſcripſit libris.
Age dic, per octo luſtra, dic Iacobi domus,
Inculta quondam cum peragrares loca,
Mihíne pingues immolâſtis victimas,
Mihíne creber fluxit agnorum cruor?
Imo Molochi liberorum ſanguine
Placâſtis aras, illius tentoriis

Religio ſedit veſtra. Remphanum quoque
Coluiſtis aſtrum Cypriæ ſacrum Deæ.
His poſita imago plurima eſt, his oſcula
Fixiſtis, his famulare flexiſtis genu.
Ergo in Damaſcum vos manu Babylonicâ
Vinctos jubebo procul ferri in exilium procul.
Noſtri parentes vaſta cum colerent loca
Habuère teſtem ſtabilis Arcam fœderis.
Velis opertam. quam, ſecutus imaginem
Sibi intuendam velut ad exemplar datam,
Authore magnus fecerat Moſes Deo.
Sed & hanc iidem poſt Ieſu ſub duce
Secum tulerunt, Marte cum peterent feris
Habitata populis arva, quos omnes Deus
Noſtris coëgit terga dare majoribus.
Tandem favore cum beatus Numinis
Piâ teneret ſceptra Davides manu,
Extruere templum voluit, indignum ratus
Se qui ſuperbo degeret palatio.
Permittere Arcam militari tegmine
Latere opertam. Nec datum eſt illi tamen
Sed primus ædem Maximo Iacobi Deo
Fabricare Solomon potuit. Ipſe Altiſſimus
Non habitat hominum manibus extructos lares,
Vt ſancta Vatum concinunt oracula.
Solium mihi Æther, Terra ſuppedaneum:
Quâ vultis, inquit Dominus, ut claudar domo?
Quæ mihi paratis tecta Divinæ locum

Dantes

Dantes quieti? nonne prius hæc omnia
Cùm nil fuerunt eſſe mea fecit manus?
O ſemper æquè duricervicum genus
Queìs nulla potuit dextra circumcidere
Mentem, vel aures, vos benigno Numini
Eſtis rebelles, vos profanatis ſacra
Quæcunque Sanctus dona mittit Spiritus,
Vitiisque avitis parte nullâ ceditis.
Quem non Prophetam gravibus urſerunt malis
Veſtri parentes, vel cui, gens impia,
Vatum pepercit? Enſe majores fero
Necuêre veſtri, quotquot huc legaverat
Hominum ſaluti providus ſemper Deus,
Vt ſera canerent fata venturi illius
Qui juſtus ipſe nos ſibi juſtos facit.
Certâſtis illis ſcelere, quos nunc vincitis.
Vos non Prophetæ, ſed Prophetarum omnium
Quem ſcripta ſpectant, Eius, heu dirum nefas,
Vos proditores eſtis & ſicarij.
Legem quoque ipſam, quæ miniſterii data eſt
Cœleſtis operâ, vos receptam ſpernitis:
Illam haud ſequentes illa vos damnat reos.

EX CAP. XVII. COMM. XXII.
Declamatio Pauli ad Athenienſes habita in Areopago. Scazontibus.

VObis Cecropidæ non abeſſe divini
Cultus amorem plurimis liquet ſignis:

Quod vel modò ipſe teſtimonio certo
Poteram doceri, ſi fuiſſet incertum.
Obambulabam fortè per ſacras ædes
Delubra Divis conſecrata viſurus.
Aram videbam: ſubitò propius accedo:
Inſcriptionem contuor DEO IGNOTO·
Hunc ergo quem vos dicitis Deum ignotum,
Quem colitis, & cui ſacra facitis ignoto,
Cunctis eundem facio gentibus notum.
Deum, Deum orbem qui creavit ingentem,
Et quicquid orbe continetur ingenti,
Hunc ſi putatis facta manibus humanis
Habitare templa, ſi putatis hunc veſtro
Cultu juvari negligenter erratis.
Nam quid ſibi egeat, quid velit miniſtrari,
Quo dante ſpirat, quidquid ullibi ſpirat,
Vivitque vivens omne: ſanguine ex uno
Qui fecit hominum diſſitiſſimas gentes
Vbique totam poſſidere tellurem,
Quibus ille in horas tempus omne diſtinxit
Menſéſque & annos: terminóſque præſcripſit
Habitationum, nempe genus ut humanum
Nunquam Deum ipſum quæritare ceſſaret,
Si fortè poſſet invenire palpando,
Quamvis propinquum, ſingulíſque vicinum:
Nam nos in illo vivimus, movemurque,
Sumuſque cuncti, ſicut & Poëtarum
Veſtratium veriſſimi ſonant verſus:

Nos

Nos illius genus:*ergo cum Dei ſimus*
Genus ſupremi,non putare debemus,
Saxo,vel auro fulgido,vel argento,
Aut ſi quid aliud fingit artifex dextra
Ducem ſequuta propriam voluntatem,
Simile eſſe Numen:abſit hoc neſas,abſit.
Deus ille ſæcli veritatis ignari
Vicem miſertus ecce vos adhortatur,
Vt libeat omnis pœnitere delicti.
Iuri diem preſtituit ille dicendo,
Cum judicabit omnis incolas terræ
Hominem per illum,cuî ſuas dedit partes,
Quem mortuum ipſe ſuſcitavit ad vitam,
Nobis ut in eo ſpem ſacram locaturis,
Vita iſta morti,mors iter foret vitæ.

Placuit his adjicere Pſalmos duos,
inuſitatiori Carminum genere à
me compoſitos,

PSALMVS QVINQVASEMVS PRI-
mus, in aliis codicibus quinquageſimus,
incipiens Latinè MISERERE.

IONICIS.

Cumuloſæ bonitatis Deus author,
Mea clemens miſeratus mala triſtem
Pater audi:mea largus veniâ crimina dele.
Ab iniquis iterum me lave culpis:
Iterum me bone munda:Scio quot ſint
Mihi noxæ, nova ſemper mihi quàm bella faceſſant.

Tibi

Tibi pecco:tibi ſoli male vivo:
Tibi dictum probo facto:tibi teſtis
Facio idem,tua lis ut ſuperet judice quovis.
Quid enim ſim vitioſo patre natus,
Neque puro ſatus ortu,cui præter
Mala nîl mens bibit intra gravidæ viſcera matris?
Neque verum tego,verum cuî curæ eſt,
Neque proſit tegere illi mala,quem nîl
Latet,& qui mihi monſtras ſacra diæ abdita mentis.
Medicatas mihi lymphas tua ſparget
Manus,& ſic ero mundus,neque candor
Superabit nivis almi laticis flumine lotum.
Tua dicet mihi vox,quod male firmas
Iuvet aures,tua ſenſus mihi reddet
Bonitas,& recreabit trepidos debilis artus.
Nimis eheu tuus inſtat mihi vultus:
Procul à me rogo vertas facieï
Gravis iram:rogo Lethæ miſeri crimina mandes.
Cor ab atrâ lue purgans procul omnes
Age ſordes,neque cœno vitiorum
Sine mergi,ſed in imo nova mens pectore ſurgat.
Oculis me vide amicis,neque ſanctum e-
ripe Flamen:fer opem,ferque ſalutem:
Tuus almâ vegetet me ſtabilem Spiritus aurâ.
Pia cunctis pateat me duce iniquis
Via:nam quos onus urget vitiorum
Tua,verſi præeuntis monito,ſacra ſequentur.
Veniam te peto cædis reus,ut ne

Petat ex me cruor inſons ſibi pœnas:
Ita ſolam celebrabit mea te lingua ſalutem.
Labiorum rogo ſeptum tua pandat
Mihi virtus, ut amicam reſonanti
Bonitatem pius hymno tibi, Rex, ora reſolvam.
Holocauſtum voluiſſes, comitatis
Numeroſis Hecatombis ab ovili
Tibi pleno cecidiſſet manibus victima noſtris.
Hecatombe tibi mens, quæ ſine fuco,
Sine faſtu tibi ſervit, neque certe
Miſerorum famulares animos deſpicis unquam.
Genitoris ſolito more Sionem
Tua rector manus augens beet, & ſic
Solymorum ſacra rerum domino mœnia ſurgant.
Vbi talem dabis horam; ſacer uſti
Cinis hirci mea peccata piabit:
Vitulorum fluitabit tepidâ ſanguis in arâ.

PSALMVS CENTESIMVS TRIGESIMVS: ALIIS CXXIX.
Incipiens Latinè DE PROFVNDIS.

ADONIIS.

Cordis ab imo
Te Deus unum
Magne vocavi:
Supplicis ergo
Percipe voces;
Nec mea duris
Vota recuſans
Auribus hauri.
Si rationem
Criminis arcto
Iure putabis,
Cogimur omnes

Cedere: nemo
Debita ſolvat.
Sed bonitatis
Fine carentis
Gratia nunquam
Deſerit illum,
Qui tibi fidit,
Quíque timorem
Iungit amori.
Spem mihi firmam
Sermo benigni
Numinis adfert.
Certa ſalutis
Spes Deus ipſe eſt:
Cùm vel Eois
Phœbus ab oris,
Occiduas vel
Tendit in oras,
Spes Iſraëli,
Cui Deus author,
Certa refulget.
Numinis almi
Gratia larga eſt,
Fertque ſalutem
Cœlica pleno
Copia cornu.
Sic Iſraelis
Pronus amori,
Cuncta benignus
Noſtra redemtor
Crimina tollas.

Sed quid ni adjiciam alterum Pſalmorum par, quorum argumentum maximè viſum eſt Poëticum?

PSALMVS CXIV.

Incipiens IN EXITV ISRAEL DE ÆGYPTO.

CVm gens nobilis Iſaci
Ægyptum celeri deſereret fugâ,
Cùm priſci Iacobi domus
Felix arva Phari barbara linqueret,
Iudæos ſibi legerat
In ſacra ætherij jura peculij,

Hebræóſq

Hebræóſque ſibi Deus
Divinâ proprios lege dicaverat.
Tunc rubro mare gurgite
Deceſſit pelago funditùs intimo:
Tunc Iordanis ab ultimis
In fontem refluas duxit aquas vadis.
Tunc ſublimia montium
Saltarunt tremulis verticibus juga,
Vt dux lanigeri gregis;
Saltaruntque ovium fœtibus æmula
Frondentûm extima collium.
Naturæ veterem quid novat ordinem?
Cur rubro mare gurgite
Decedis pelago funditus intimo?
Cur Iordanis ab ultimis
In fontem refluas ducis aquas vadis?
Cur ſublimia montium
Saltatis tremulis verticibus juga,
Vt dux lanigeri gregis;
Saltatisque ovium fœtibus æmula
Frondentûm extima collium?
Reſpondere Dei facta poteſt manu
Orbis machina totius.
Præſenti meritò contremui Deo,
Præſenti Iacobi Deo:
Rupes imperio cujus aquas dedit,
Et fluxit ſilice ex rudi
Fontis perpetui more ſacer latex.

PSALM. CXXXVII.

Incipiens SVPER FLVMINA.

SEdimus ripis lacrymoſa turba
Propter impuræ Babylonis amnes,
Nec Sionæi miſeros reliquit
Montis imago.
Pendet, heu, canis temere in ſalictis
Muta teſtudo, citharæque triſtes,
Et peregrinos taciturna curvant
Nablia ramos.
Voſne qui tergo manibus revinctis
Nos ad externos trahitis penates,
Poſcitis lætum famulo ſonare
Gutture carmen?
Voſne noſtrorum madidi parentum
Cæde, clamatis, date, quos Siônis
Arduus vertex toties beatos
Audiit hymnos?
Ergo tam longè patriâ remotus
Sede divinas repetam Camœnas,
Vt queat ſacros reſonare cantus
Barbara tellus?
Cùm tui vivam Solyme paterna
Immemor, dextræ memor hujus eſſe
Deſinam, priſco manus iſta ceſſet
Munere fungi:
Si tui oblitus fuero, nec omne
Gaudium in dulci patriâ locâro,

Areant

Areant fauces, ſtupeátque fixo
Lingua palato.
Impiæ tandem meminiſſe Idumes
Magne digneris Deus, & diei
Illa funeſtæ ſpecies remiſſas
Suſcitet iras.
Dixit antiqui ſoboles Edomi:
Corruat dirâ Solyme ruinâ,
Vertite hanc urbem, neque ſola templi
Signa ſuperſint.
Tu quoque infelix Babylon jacebis,
Et feras paſces. Nimis, *ô beatus,*
Qui tuo, nobis mala quæ dediſti,
Iure rependet.
O ter & felix quater! ille veſtram
Auferet prolem, puerosque raptos
Cædet allidens tremebunda duro
Viſcera ſaxo.

Dum hæc colligo in manus venit Pſalmus LXXXVIII, incipiens, DOMINE DEVS SALVTIS MEÆ, miſcellaneo Carmine tranſlatus.

Deus humanæ cauſa ſalutis
Te prece ſolum ſupplice poſco,
Et cùm cinctus radiante die
Sol excelſum luſtrat Olympum,
Merſus & idem cùm ſublimi
Omnia ſecum condidit umbrâ.

Tangant vultus mea vota tuos,
Nec difficilem verbis præbe
Supplicis aurem.
Anima innumeris ſuperata malis
Vix languentes ſuſtinet artus,
Vitáque triſti miſeræ ſortis.
Preſſa ruinâ paulò immitem
Effugit Orcum. Nîl inter me
Reſtat, & illos, quos in Stygiam
Mors præcipitat flebilis undam:
Aut auxilij ſi quis egenus
Nullos uſquam cernit amicos,
Propè nec vitâ vivus in ipſâ:
Vt quos ſævo vulnere captos
Servant ſurdi ſaxa ſepulchri,
Te vivificam retrahente manum,
Memori nemo pectore curat;
Sic ego fermè Phlegetonteis
Damnatus aquis ſentio tenebras
Triſtis Averni, ſentio denſam
Carceris umbram.
Indies in me tua creſcit ira,
Ira quæ tantis miſerum procellis
Obruit, quantis hyemis ſub horam
Fluctibus quaſsæ trepidant carinæ.
Méque tot quondam comites ſecuti
Cùm ratis fauſtâ raperetur aurâ
Deſerunt omnes: fugiunt amici

Sorte felici fugiente cuncti,
Méque contemnunt, & abominati
Priſtinos mutant odijs amores.
Clauſus, & ſolo poſitus cubili
Publicum vito: cumulo malorum
Obruti languent oculi, nec ultrà
Aut vident, aut flent, in utrunque feſſi.
Te petit totis mea vox diebus:
Omnium cogor vacuas ad aſtra
Tollere palmas.
An quos iſta ſemel vita reliquerit,
Hi virtutis erunt materies tuæ,
Túque illis medicam cùm tuleris manum
Illorum reduci voce citaberis?
An quos ſarcophagi ſub tumulo premit
Tectos terra gravis teſtibus his tua
Vtetur bonitas? è pereuntibus
Argumenta tuæ juſtitiæ petes?
Prodétne è tenebris ſe tua veritas,
Et Lethes tacitæ pocula qui bibunt
Dicent ætheriæ facta potentiæ?
Ad te, Magne Deus, vox mea tollitur,
Et cùm feſſa fugat ſidera Lucifer
Te, ſolare manens dum niteat jubar,
Crebrâ ſollicitat prece.
Cur noſtra lenti verba ferunt Noti,
Quò tardè ad aures perveniant tuas?
Cur triſtis avertis ſeveros

Ne capias

Ne capias mea verba vultus?
Indomiti labores
Primis juventutem mihi
Exercuêre ab annis,
Inde me ſublatum in altum
Caſus excepit gravis.
Expoſitus furori
Iræque conſervor tuæ,
Cingúntque me timores,
Sicut unda quæ minatur
Vltimum meſſi malum.
Nulli miſerantur amici
Me, nullíque ſodales
Alloquio, auxilióque juvant:
Et non eſt, niſi tu ſucurras tempore, qui me
Sublevet, aut dextrâ, conſilióve juvet.

Pſalmum centeſimum quartum, qui incipit BENEDIC ANIMA MEA DOMINE, miſcellaneo genere Carminum ſimiliter tranſlatum invenies in Tragœdiâ Fol. 27. in quo tamen multò plus obſervatum eſt, quàm fronte apparet: Non indico: Lector indaget.

Hoc etiam Carmen omittere non potui, quo Chriſtianorum, & Orthodoxorum Patrum Symbolon continetur.

ME docet indubii fiducia pectoris unum
Eſſe Deum, quo dante monet ſperare ſalutē
Chriſtiadûm non falſa fides: tres ſcilicet olli

Perſonæ

Perſonæ ſubſunt, nec deſinit unus haberi.
Eſt Pater, ingenti qui condidit omnia nutu,
Quæque oculis ſubjecta patent, quæque abdita viſus
Effugiunt noſtros, immenſa potentia cujus
In rerum miràcla patet. Deus unus, & idem eſt
Ille, ſalutiferum ſumpſit qui nomen Ieſu,
Vnigena ætherij natus Genitoris, ab illo
Proſatus (hæc nullæ capiunt Myſteria mentes)
Antè etiam Cœlum quàm volveret axis, & antè
Quàm librata ſuo ſediſſet pondere Tellus.
Hic Deus ex Genitore Deo eſt, ex lumine lumen,
Eque Deo vero verus Deus: hic neque factus
A Patre, nec formatus erat, ſed natus ab illo,
Et genitus, cui cum magno ſubſtantia Patre
Vna, eadémq foret, per quem ſunt omnia, quæ ſunt:
Qui propter miſeros homines, hominúmque ſalutem
In terras procul ex patrio deſcendit Olympo,
Conceptúsque ſacrâ Divini Flaminis aurâ
Humanam aſſumpſit Mariâ de virgine carnem,
Factus homo, noſtróque tulit pro crimine dirum
Supplicium Crucis inſontem damnante Pilato,
Multáque perpeſſus, tandem ſub mole ſepulcri
Conditus, ex tumulo, cùm tertia venerat Eos,
Surrexit veterum complens oracula Vatum,
Aſcenſóque Polo ſublimi ſede locatus
Nunc ſedet ad Magni dextram Patris, unde redibit
Veridicus judex in Majeſtate decorâ
Arbiter & vivis, & jam ſua funera paſſis.

Tunc

Tunc regni nec finis erit, nec terminus ævi.
Spiritus ille etiam Deus eſt, qui vivida nobis
Corda animat, Sanctámq. inſpirat mentibus auram.
Procedens de Patre ſimul, natóque Parentis,
Quem Dominum cum Patre ſimul, Natóq. fidelis
Concelebrat populus, quem flexo poplite adorat.
Hic ille eſt priſcis qui Vatibus ora reſolvit,
Quo conſcripta nitet Divini pagina Verbi.
Eſſe etiam ſanctum cumnunem totius Orbis
Credo, & Apoſtolico firmatum dogmate Cœtum.
Vnam peccatis veniam, fontémque lavacri
Vnius agnoſco. Tempus (nam tempus & illud
Advenit) expecto, quo corpora noſtra reſurgent,
Cùm mihi perpetuæ current nova ſæcula vitæ.
SYMBOLON *hoc* FIDEI *eſt, quod vox ſacra fulciat,*

AMEN.

Forte non ingratum erit, & hoc Carmen
Paſchale, ſimúlque mihi Natalitium, currente prælo fuſum.

SAncta lux longo redeuntis anni
Circulo ſalve: tibi nos vacamus
Ritè miſcentes ſacra Chriſtianis
Carmina votis:
Sive tu quondam, vetus Abrahami
Cùm fero rectas Pharaone terras
Linqueret proles, celebrata primum
Moſe magiſtro,
Pane fermentum metuente gaudens,

Partibuſque agni benè diſtributis
Annuâ nobis redeunte Lunâ
Paſcha vocaris:
Sive, quod juſtum eſt, nova cauſa ritus
Vicit antiquos, domitrixque l gis
Te reviventis ſibi mancipavit
Gratia CHRISTI:
Hoc tamen certè veneranda, & illo
Nomine effulges mihi, ſanctiórque
Iure natali proprio, niſi illum
Tu quoque ferres.
Namque, quod fauſtum ſit, & uſque felix,
Priſca ſi rectè repetamus acta,
Quæ mihi vitam dedit, hæc IESV
Reddidit hora.
Sol mihi hic primus fuit, hic Hebræo
Sanguini divinâ ope liberato,
Hic triumphato tibi CHRISTE *luxit*
Primus Averno.
Te precor ſolum, manibuſque tenſis
Poplites flecto, gemituque crebro
Præbeas oro facilem querelis
Supplicis aurem.
Quid mihi hæc vita eſt, niſi iter moleſtum,
Quod procul dulci patrâ remotus
Exteris, eheu, malegratus oris
Hoſpes oberro?
Ecce nunc luſtris mihi Sol duobus

Addit octavum revolutus annum,
Plena quæ nobis hominis putatur
Puberis ætas.
Heu, quid infauſtæ numerare vitæ
Tot dies prodeſt? quid erit juventus,
Quam ſibi totam puerilis ævi
Vindicat error?
Quo tibi poſſum merito probare
Tot mihi noctes, tot abîſſe luces,
Cui propè incaſſum data vita nullo
Floruit uſu?
Qualis è fætæ genitricis alvo
Prodij, talis ſupero, nec eſt cur
Hactenus vivam, nec adhuc quod ultrà
Vivere quæram.
Opprimor longâ ſerie malorum:
Prima quæ vitam dedit hora, ſecum
Vexit ærumnas, & in omne juſſit
Creſcere ſæclum.
Nempe ut addiſcam nec in hâc morandum
Sede, nec rebus cupidâ vacandum
Mente terrenis, ſed ad aſtra certos
Tendere curſus.
Interim ſacris libet erogare,
Quicquid hoc ævi eſt, ſtudijs, Deóque,
Quo fruor vitâ tribuente, vitæ
Reddere fructus.
Artibus ſi quid potero profanis,

Cura quæ ſemper maneat ſecunda,
Hoc patri, matri, patriæque & omni
Serviat Orbi.
Abſit ingratus ſocius bonorum
Faſtus, & ſævæ furor acer iræ,
Exulet livor malus, invidiáque
Pectoris æſtus.
Túque quæ blando nimiùm veneno
Pellicis mentes procul hinc abeſto
Omnibus mater vitijs, & Orco
Nata libido.
Ergo diſpellam vetus expiato
Corde fermentum, nec-adhuc-timendi
Cornibus mores imitabor agni
Neſcius iræ.
Vt Phari tandem regione migrans
In Chananæas proficiſcar oras,
Quas bipertiti Sacra pollicetur
Pagina libri.
Mortuus pro me mihi nam reſurgens
Spem facit Chriſtus fore, ut abſolutus
Criminum culpâ teneam beati
Culmina regni.
Hæc velut conſcripta adamante duro
Hæreant imis mihi fixa fibris,
Cœpta dum curret beneominato
Paſchate vita.

EPICEDION GENERE
MORIBVS NOBILISS.
MATRONÆ GERTRVDI VIRI
NOBILISS. AMPLISSIMI
PRVDENTISS. IOHANNIS AB
OLDEN-BARNEVELT
DOMINI DE TEMPEL
GROENEVELDT
RODERIIS ETC.
REIPVBL. BATAVÆ
PRIMI CONSILIARII
ET ADVOCATI FILIÆ
VIRI NOBILISSIMI
AMPLISS. CONSVLTISS.
REGINALDI BREDERODII
DNI. DE VEENHVYSEN ET SPANBROVC
CONSILIARII SVPREMI SENATVS CONIVGI

HVGO GROTIVS
M. P.

EMERITVS vallum repeto, deſuetáque miles
Rurſus ad arma vocor: dubium navale tenentem
Fluctus agit, timidusque maris per cærula vector.
Quicquid in Aönio Muſæ docuère receſſu
Formantes teneris leviter mihi verſibus ævum,
Dedidici, laurusque aret delapſa capillis.
Iamque Camœnarum ſtudium puerile relinquens
Implebam chartas numerorum lege ſolutas,
Belláque, bellorumque faces, motusque Philippo
Principe dicebam, quibus hæc correpta rotatur
Belgica: divellor. Poſcit mea carmina Funus
Nobile, & heu quondam patriſque virique voluptas.
Nunc amiſſa dolor. Lacrymæ, luctusque recentes
Omnia qui mutant et me fecère Poëtam.
Singula mœſta vides: non jam domus una, ſed omnis
Haga, nec hæc tantùm, ſed & ipſa Batavia luget
Funereâ mutans victricia ſerta cupreſſu,
Atque aït: hanc ſaltem poteras Fortuna ruinis
Immunem præſtare domum, quâ ſoſpite vivo.
Aſpice, ſi perfers, nigræ ſolennia pompæ,
Triſtéſque exſequias, & matronale feretrum:
Aſpice mœrentes Proceres, totumque Senatum.
Cerne ſalutantûm quàm jam non evomat undam
Ianua, cerne Lares, deſolatoſque Penates
Orâclum Batavo generi. nunc lugubris illos
Cultus habet, geminæque nitent inſignia gentis,
Hinc tua BARNVELDI, quibus Amerſfordia vidit
Fulgentes Equites, illinc BREDERODA Mariti.

Tu quoque ſolve GROTI *ſupremum Manibus iſtis*
Officium, magnæque domus profitere clientem.
Inveniet dolor ipſe vias, referámne Parentis
Ingenium? quicquid referam, majora tacebo.
Majeſtas vetat ipſa loqui: namque inclita virtus
Illius antiquos offuſcat gentis honores,
Et munus meritis æquans mortalia vota
Evehitur ſuper, & titulos tranſcendit avitos.
Ille gravis curis, longóque exercitus ævo
Conſeſſum vocat, & ſuffragia maxima Patrum
Conciliat, dictiſque animos, & pectora mulcet.
Illum etiam Galli proceres ſtupuêre loquentem
Ad Ligeris ripas Legati munere functum,
Facundum mirata nec eſt ſemel Anglia Belgam.
Omnis ad illius ſed vox præconia ſordet
Inferior, ſuperátque unus faſtigia laudum,
Atque bonis intenta vigil prudentia noſtris
Et Batavo ſatis, & nimium clareſcit Ibero.
Quicquid in excelſum, ſed adhuc virtutibus impar,
Congeſſit Fortuna virum, penſavit acerbâ
Iacturâ ſobolis, (ne quem fugiſſe putemus
Invidiam) periítque ingentis gratia doni.
Livida non aliam quærunt dum fata nocendi
Invenêre viam, quanquam quid non licet illis?
Quis tamen è varijs tam triſtia vulnera caſus
Eligit? ah quanto damno leviore tuliſſent
Æquora tot campos, tot ſecum incendia villas!
Hæc poterat Genitor ſortis bona rapta ſerenâ

Fronte

Fronte pati, qui nunc vix pectore triſtibus alto
Temperat à lacrumis, & deplorata ſecutus
Funera, pænè virum patitur ceſſiſſe parenti.
An Matrem potiùs referam quam gentis origo
TEMPELIÆ *tantis dignam ſucceſſibus auxit,*
Nec rebus, mirum, pietas inflata ſecundis
Turguit, & mores creſcens fortuna modeſtos
Non potuit mutare tamen? Tén' maxime conjunx
VEENHVSI *mea Muſa canet, qui clarus utroque*
Sanguine Supremum decoráſque juváſque Senatum
Conſilijs, aliud poſt quæ decreta tribunal
Appellare nefas? non hæc, non omnia dicam,
Quæ functam externâ celebrant Heroïda famâ.
Ad propriora trahor. nam longiùs Vmbra morantem
Ad ſeſe vocat, ut luctus in carmina vertam.
Sume tibi cantus, & in hoc quoque vive ſepulcro.
Si licet in tantâ virtutum mole tuarum
Haud reticere genus, non te privata dedêre
Limina, contemptive lares cepêre cadentem:
Gente ſed antiquâ fulget tibi magna parentum
Nobilitas: nondum, cùm te Lucina beato
Sidere donaret, ſed parco ſidere vitæ,
Venerat ad culmen Genitor, ſed juris, & æqui
Artibus, & dignâ ſollerti pectore curâ
Iam tum conſpicuus, jam tum venerabilis ibat
Omnibus, & digito jam monſtrabatur amico,
Spondebátque patrem patriæ: ſic debitus illi
Tecum crevit honos, nunc ſidera vertice pulſat.

Tum

Tum celſæ mirata diu præſagia mentis
Spem velut in magnam te provida mater alebat,
Fortunâ ſimul, atque annis majora loquentem:
Forma decens magno creſcebat digna marito,
Verùm animi ceſſura bonis. quæ gratia morum,
Quæque gravi ſimplex cum majeſtate venuſtas,
Et probitas primo jam tum mirabilis ævo,
Et lepor, ac major ſexu facundia nullam
Inventura parem! quid de gravis indole dicam
Ingenÿ? plenâ referebat imagine Patrem
Feminei generis decus, & pudor, unde paterna
Perpetuò pietas in te proclivior ibat.
Nunc tantùm meminiſſe licet. Quis turbida poſt hæc
Pectora mulcebit? Fuit hæc tua cura: Parentem
Tu, quoties humeris commiſſi publica moles
Ponderis, & noſtræ nimiùm defixa ſaluti
Cura fatigaret, placido ſermone levabas.
Iam, niſi quòd cælebs, Genitori tota placebas.
Namque cupit vincire thoros, & jungere feſta
Connubia, & dignos ex te ſperare nepotes.
Virginitatis amor pugnat cum lege parentis,
Cedit virginitas legi: dumque ambigit omnis
Patria, quem tanto dignentur Fata cubili,
Invênit Genitor tædas. VEENHVSIVS *unus*
Promeruit ſocium tam magno judice lectum.
Hic genero felix, ſocero felicior alter.
O quales luxêre dies, cùm nobilis Haga
Muſſatos Dominæ vidit GERTRVDIS *amores,*

Inſignemque

Inſignémque virum Generoſæ ſtirpis alumnum,
Effuditque preces, & vota jugalia, ſed non
Profectura diu. tantum per quattuor annos
Non potuit durare bonum, ſive invida Fati
Optima quæque rapit manus, atque exſtantia carpit,
Naturæ ſive hæc ratio, quæ tempore longo
Nec patitur florere roſas, nec lilia ſervat.
Grata Senatoris ſemper te cura mariti
Viſceribus totis, animóque amplexa tenebat.
Sed pius haud unquam ſignis gravioribus ardor
Emicuit, quàm cùm juvit minùs: ille cubanti
Hærebat prono fuſus ſuper oſcula vultu.
Quæ tum cura thori, quantus pro conjuge pallor!
Languebat ſimul, & vultus ſumebat ab illâ
Dignus amor certè, quem non adverſa probarent.
Felices, & jam ditati prole ſecundâ
Florebant thalami: patriis excedere tectis
Filia privatis laribus manſura parabat.
Sed nihil hanc, carúmque nimis disjungere Patrem,
Aut mors ſola poteſt, & mors disjunxit utrunque.
Corripitur triſti miſeranda puerpera morbo.
Spes erat à primo pulſu non parva ſalutis:
Iámque exire foras, votúmque exſolvere templo
Cœperat. invaluit rurſum grave virus, & atri
Intermiſſa mali crevit natura morando.
Sic, ubi ſublimi totum velut aëre pendens
Iönium Boreas rapit, atque ad ſidera tollit,
Tollit & unda ratim, ratis arbore tangit Olympum,

Crudeleſque Deos, atque Oriona minantem.
Inde ubi ceperunt liquidi ſubſidere montes,
Illa cadit præceps, horretque Acheronta propinquum.
Intereà fera creſcit hyems, graviore tumultu
Auditur latus, & ſtricti mugire rudentes,
Nec durare queunt laſſatæ membra carinæ.
Fluctus adeſt novus, atq. ipſum cum puppe magiſtrū
In fluctus agit, & vaſto demittit hiatu.
Volvebant quintum Genitalia Sidera luſtrum,
Cùm morbi gravis ira premit, florémque juventæ
Corripit: illa priùs ſpecies optanda maritis
Deperit. An ſaltem ſi mors manet, ut manet omnes
Non potuit niſi lenta dari? Stat pallida mater,
Stat conjunx, mœſtúſq. parens. nîl turba miniſtrans
Auxiliata malis, nîl ars operoſa medentûm.
Heu quid non Mors dira rapis? tenuata ſororum
Stamina deficiunt, & inexorabile penſum
Quod Natura dedit ſupremo in fine laborat,
Formoſíque cadunt vultus, vix oſſibus hæret
Pellis, & horror ineſt oculis, atque auribus horror:
Luctatur ſed vita diù: vox ſola mariti
Noſcitur, & vultu Genitor moriente videtur.
Os matri ſe ſponte movet, carámque ſororem
Murmurat, & fratres, conſolatúrque dolentes,
Relliquiæque animi ſancto famulantur amori.
O ſemper comitate dolor, quàm triſtia nunquam
Solæ ſuperveniunt, ſed duris nexa cathenis!
Non finitus erat. Puttenæ Præſidis ora

Luctus,

Luctus, & alter adeſt, fraternaque funera natæ
Exſequias poſt terga trahunt. Pater optime, quantā
Materiam virtutis habes, dum pectore queſtus
Comprimis, emerſumque gravi caput exſeris undâ!
Nullus enim lacrymas vidit, ſuſpiria nullus
Audiit, & ſolum moli te muneris iſti
Senſimus eſſe parem, tantâ quam laude tueris,
Vincere quem rerum nullæ potuêre procellæ.
Nunc tamen exanimem circumſpicis, oráque natæ
Frigida miraris, nunc neptibus oſcula libas,
Quæ tibi ſola tuæ supereſt GERTRUDIS *imago.*
Quippe bis ad partus venit Lucina, duobus
Vultibus eximiæ tranſfudit frontis honorem.
Felix ô, niſi ſæva dies, quæ ſumma voluptas,
Gaudia pro ſobolis thalamo materna negâſſet!
Nunc ſpes, atque preces, & ſortis vota futuræ
Atropos in mediâ ſcidit imperfecta juventâ,
Legatis nobis lacrymis. VEENHUSIUS *ipſe*
Magna maritali ſuperatur pectora luctu
Triſtis ad invidiam Fati: non lucis Eoö
Conjugis amiſſæ facies, non nocte recedit.
Quin ubi jam viduo commiſit membra cubili
Inſomnis jacet, & thalami diſpendia luget.
Non ego, quantumvis conſortia magna doloris
Paſſus, & heu mecum ſortem lacrimatus iniquam,
Tot luctus loquar, & lamenta domeſtica verſu
Conſequar: antè dies vel me vox ipſa relinquat.
An magis externis etiam miſerabile funus,

 Feraléſque

Feraléſque cauam pompas? ſed vidimus omnes
Denſatam exſequijs, & ſpectatoribus Hagam,
In ſe oculos omni cùm vertit ab agmine conjux,
Et pater heu fruſtrà toti prope creditus urbi
Fatorum ſuperâſſe vices. at fortia cuncti
Pectora mirantur ipſi vicina ſepulcro.

Diſce per exemplum funeſto parcere luctu,
Quiſquis damna foves, & iniquo pectore fotum
Vulnus amas. quid enim juvat indulgere dolori?
Mortua ſunt quæcunque vides, aut debita morti.
Terra mari, terræ mors eſt mare: currit in unâ
Ipſa dies peritura die. pecudéſque feráſque
Et volucres Nox una manet. Felicior illis
Unus Homo ſolos morti permittit avaræ
Nervos atque cutim: Superant poſt funera Manes.

Hæc etiam vobis felicior ipſa ſuperſtes
Parte ſui meliore manet: non ſponte rogavit,
Non metuit cùm juſſa mori. quæ monſtra timemus?
Oráne tergemini Canis, armatáſque veneno
Eumenidas, facibusque, & conſurgentibus hydris,
An tardum cum nave ſenem, Regnóve profundo
Finxit priſca geri quæcunque licentia vatum,
Aut Deus expoſuit veri certiſſimus author?

Quam gemimus, non illa unquã mala triſtis Averni
Sentiet, aut Stygio cruciata rotabitur igni.
Sed dubios extra caſus, & lubrica vitæ
Ibit ad ætherios cœtus: ibi neſcia lethi
Tranſiget æternas inter ſacra gaudia luces,

Præſentémque

Præſentémque Deum felix conviva rogabit,
Si noſtri manet ipſa memor, quod Mortis iniquæ
Immatura dies teneris ſibi dempſit ab annis,
Proroget hoc caro, Batavo gaudente, Parenti:
Nec niſi completis humani finibus ævi
Ipſe ſenex patriam tutâ ſtatione locatam
Deſerat, & dulcem longo pòſt tempore Natam,
Illuſtréſque inviſat avos, ad celſa receptus
Sidera. Fata negant poſſe hæc tam juſta negari.
Salve igitur, ſalve jam libera luctibus Vmbra,
Supremumque vale, & quanquam mortalia temnis
Inferijs hoc vile quidem tamen accipe carmen
Vna dies cœptum quod vidit, & altera factum.

LECTORI.

INſtituti noſtri quæ fuerit ratio, QVISQVIS ES, ex eâ quæ ad Galliarum Principem ſcripta eſt epiſtolâ intelligere potuiſti: ideóq. nō multis mihi hîc cōpellandus. Tragœdię prolixitatē ſi accuſas, hoc habe; Si placitura erat, non poterat nimis longa; ſi diſplicitura, non ſatis brevis fieri: excuſabit tamen argumenti fœcunditas, ſi quid hâc in re peccatum eſt. quanquam cur peccatum, cùm etiam exemplo poſſit defendi? Et quæſo, quis unquam modum ſtatuit, aut ſtatuerit? Quiſque ſui operis magiſter. Stylus non videtur cothurno dignus? cauſam non dico quo minùs ità ſit, nā ſcio etiam eſſe, quibus nemo poſt Senecam ſatis facit, nec ille quidem integer. Mantiſſæ loco habes Sacrorum Carminum Cumulum, aut ἐπίμετρον. In eo, Speciminis loco, Euangeliorum quatuor initia verſibus vidiſti expreſſa: Deinde Hymnos, & Pſalmos, aliáque nonnulla, quæ reperire potui: Nam ſunt & alia non pauciora eiuſdem generis, quæ nunc in manus non venerunt: & ſi qua venerunt, ea omiſſa ſunt, ne opus in nimiam molem excreſceret. Pleraque horum carminum mihi in itineribus luſa, dum aliud quod agam, non invenio: unde rudiora fortè erunt, quàm oportuiſſet abs quoquam proficiſci, qui, cum funderet, Poëticam ſupellectilem ad manum habuiſſet. Ego tempus fallere volui, &, quia ne pugillares quidem ſæpe in promptu, memoriâ potius mecum certare, quàm ingenio. Vltimo hoc loco nobilis apud nos Matronæ eſt epicedium, quod dum reliqua imprimuntur, ſub manu natum. Id ſi ſacrum non eſt, at omninò profanum dici non poteſt. Hoc opuſculum ſi tibi placuiſſe intelligam, erit quod mihi gratuler: laboríſque non pœnitebit. Alia etiam varii argumenti partim perfecta, partim affecta iſtis ſtimulis accenſus publico non invidebo. Primùm in Sacris Dialogus, cui Philarchæo nomen, jam in manibus eſt, in quo Moſis ſacra hiſtoria plurimis Ethnicorum firmatur teſtimoniis, ſi tamen ità loquendum de re quæ per ſe firma externo ad fidem auxilio non eget. In eo multa ex Ægyptiâ, Phœniciâ, Orphicâ, Pythagoricâ Theologiâ non contemnenda promentur. In Iure (quanquam plus temporis forenſi actioni, quàm nudæ ſcientiæ exercitio tribuendū exiſtimem) tamen hæc, ſi Fata ſinent, lucem non effugient, ne quis poſthàc criminetur nos Muſarum deliciis ineſcatos Themidis non frequentâſſe Sacrarium. Commentarius in ſex Leges difficillimas,

quas

quas damnatas vocant, jam ante biennium abſolutus. Pandectarum eclogæ indigeſtæ ſunt,& tertiâ parte imperfectæ, Inſtitutionũ Iuſtinianearum ἐμμέτρος μετάφρασις dimidio ſui ante annos aliquot expedita eſt His accedant in Papianum poſterioris ævi Iuriſconſultum,& ea quæ apud Iſidorum de Iure traduntur, Notæ. Ad Civilem ſcientiam ſpectant, noſtratis Reipublicæ cum aliis olim nobilibus, ſucceſſuúmque inter ſe comparatio; & alia, ut ſpero, ad hiſtoriam eorum quæ in meâ patriâ meo ævo, aut circiter illud accidêre. Ad humaniores literas quod attinet, paratæ ſunt ad Orphicos hymnos, quos Onomacrito Tatianus videtur aſſcribere, Notæ,& ſi ea tanti, profanorum Carminum farrago, in quibus Silvæ, Elegiæ, Odæ, Epigrammata, cum Sacrorum reliquiis. Quæ omnia ſenſim eâ me conditione præſtiturum confido, ſi Deus & vitam dederit, & valetudinem, & otium. Nam quicquid horum defuerit, profiteor me non obligatũ. Neq. hæc ambitioſè, ſed verè à me dicta eſſe, amici teſtes ſunto, quos nihil meorum operum latet, quíque ſciunt ei rei unicè me operam dare, ut publico natus publico oſtendam octodecim hos annos non abiiſſe mihi otioſos, etſi fortè futuri ſunt qui me NIHIL egiſſe dictitent. Sed illorum vocibus non deterreor. Errata in hoc opere pauca me præſente, abſente plura commiſſa ſunt, ut plerunque hoc infortunio laboro. Itaque eorum, quæ inter legendum te morari poterant, Catalogum cum paginæ verſuúmque numero in operis principio quære, &, ſi me amas, corrige, & ſalve.

FINIS.

562462

omniator, ſive Yoſeph = Tragedia del
Padre Leone [illegible]ttio, della Comp.a di Gesù

S. Hermenegildo [illegible]ntyr = Tragedia del
Padre Marco Antonio Bucci, della Comp. di Gesù

Staniſlao KostKa = Dramma ſacro, del
Padre Giovanni Luccaro, della Comp.a di Gesù

[illegible] Catha[illegible]e rotarum triumphus = Traged[ia]
di F[illegible] [illegible]a Magri, Agostiniano.

[illegible] = Trag[ed]ia di Ugone [illegible]
[illegible], con altre sue poesie Sagre.

FINE